

79 ianuario 1973

Notitiae

Sacra Congregatio pro Cultu Divino



CITTÀ DEL VATICANO



Notitiae

Commentarii ad nuntia
et studia de re liturgica
edenda cura
Sacrae Congregationis
pro Cultu Divino

« Notitiae » prodibunt semel in mense. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Conferentiis Episcopalibus vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit. *Directio*: Commentarii sedem habent apud S. Congregationem pro Cultu Divino, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta his verbis inscripta NOTITIAE,

Città del Vaticano

Administratio

autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano

Pro commentariis sunt in annum solvendae: in Italia lit. 2.000 - extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5,25). Singuli fasciculi veneunt: lit. 200 (\$ 0,40) — Pro annis elapsis singula volumina: lit. 4.000 (\$ 7,35) id. linteo contexta: lit. 6.000 (\$ 10,50) singuli fasciculi: lit. 400 (\$ 0,75)

Libreria Vaticana
fasciculos Commentarii mittere
potest etiam *via aërea*

Libreria Editrice Vaticana
C.c.p. N. 1-16722

Typis Polyglottis Vaticanis

SUMMARIUM

De libris Liturgiae Horarum lingua
vernacula edendis 3

Acta Summi Pontificis

« Ministeria quaedam ». Litterae Apostolicae Summi Pontificis Pauli VI Motu proprio datae quibus disciplina circa primam tonsuram, ordines minores et subdiaconatum in Ecclesia latina innovatur 4

« Ad pascendum ». Litterae Apostolicae Summi Pontificis Pauli VI Motu proprio datae quibus nonnullae normae ad sacrum diaconatus ordinem spectantes statuuntur 9

Decretum S. Congregationis pro Cultu
Divino 17

Commentarium de nova disciplina et
ritibus circa ministeria (GP) . . . 18

Acta Congregationis

Variationes in Institutionem generalem Missalis Romani inducendae 34

De textibus biblicis in editione latina
Missalis Romani et Liturgiae Horarum 39

Emendationes in primam reimpressionem Missalis Romani inductae . . 41

Tertia Congregatio Plenaria 44

Nuntia

Nouvelles du Rwanda et du Burundi 47

Discipline et rites nouveaux concernant les ministères (pp. 4-33)

Une grande partie de ce fascicule est consacrée aux documents par lesquels est appliquée la réforme des « Ordres mineurs » et instituée la nouvelle discipline des « ministères ». En plus des documents promulgués par le Saint-Père le 15 août 1972 et du décret de la S. Congrégation pour le Culte Divin qui publie les nouveaux rites, un commentaire explique le processus de préparation des documents et des rites, ainsi que les principes sur lesquels se fonde la réforme des Ordres mineurs.

Celle-ci a pour base le droit que possède l'Eglise de changer, ajouter ou ôter ce qui se rapporte aux ministères sans être propre au sacrement de l'Ordre. L'histoire de l'Eglise montre comment, en ce domaine, une grande diversité s'est établie au cours des âges dans les différentes Eglises d'Orient et d'Occident. La nécessité d'une réforme, déjà ressentie à l'époque du Concile de Trente, devint plus vive encore après Vatican II, avec le diaconat permanent et l'application de la réforme liturgique, laquelle exigeait que rites et fonctions correspondent à la *vérité* et aux besoins de l'Eglise, chacun accomplissant dans les actions liturgiques « seulement et totalement ce qui lui revient ».

Les Ordres mineurs tirent donc place à l'institution de ministères qui, selon les besoins des divers pays, peuvent être conférés aux laïcs. Il convient de remarquer que, pour les candidats au diaconat et au sacerdoce, ces ministères gardent leur valeur pédagogique de préparation progressive, spirituelle et pratique à l'exercice de l'Ordre qu'ils recevront plus tard.

Modifications apportées au Missel Romain (pp. 34-43)

Dans la Présentation générale du Missel Romain, la suppression du sous-diaconat rend nécessaires celle des numéros qui traitent de cet Ordre et la correction de certains autres. En publiant ces modifications, la S. Congrégation pour le Culte Divin met en valeur le principe de la *vérité* dans l'exercice des divers services au cours des actions liturgiques. C'est pourquoi on insiste pour que la fonction de diacre soit exercée par de véritables diacres et que les prêtres participent à la célébration de l'Eucharistie « en tant que prêtres ».

On trouvera ensuite une liste de corrections, la plupart d'ordre typographique, à porter dans les nouvelles éditions du Missel Romain. Ensuite, quelques précisions sur le texte biblique utilisé par les éditions liturgiques en latin par suite de l'introduction progressive de la « néovulgate ». On montre comment cette adoption s'est poursuivie jusqu'à maintenant, au cours des publications successives.

Troisième Session plénière (pp. 44-46)

Au mois de novembre 1972 s'est tenue la troisième Session plénière de la S. Congrégation pour le Culte Divin. Elle a traité, en particulier, des nouveaux rites concernant les ministères, publiés depuis, du directoire pour la messe des enfants et du Rituel de la Pénitence.

Nueva disciplina y ritos sobre los « Ministerios » (pp. 4-33)

Gran parte de este fascículo está dedicada a los documentos con los que se efectúa la reforma de las « órdenes menores » y se instituye la nueva disciplina de los « ministerios ». Además de los documentos emanados por el Santo Padre el 15 de agosto de 1972, y del decreto de la Congregación del Culto Divino, que publica los nuevos ritos, se expone en un comentario el camino recorrido para preparar los documentos y los ritos, así como los principios en los que se apoya la reforma de las « órdenes menores ». Esta se basa en el derecho que tiene la Iglesia a modificar, añadir y quitar cuanto se refiere a los ministerios que no son propios del sacramento del Orden. La historia de la Iglesia enseña que en este campo ha habido gran diversidad en las distintas épocas y en las distintas Iglesias occidentales y orientales. La necesidad de una reforma, sentida ya en tiempo del Concilio de Trento, se hizo más aguda después del Vaticano II, con el diaconado permanente y la actuación de la reforma litúrgica, por la cual se siente la necesidad de que los ritos y los oficios confiados a las personas respondan a « la verdad », a la necesidad de la Iglesia, y de que en las acciones litúrgicas cada uno realice « todo y sólo lo que le corresponde ». Abolidas las « órdenes menores », se han instituido los ministerios, que, según la necesidad de las distintas regiones, pueden conferirse a los laicos. Hay también una consideración especial sobre los candidatos al diaconado y al presbiterado, para los cuales los ministerios conservan el valor pedagógico de preparación progresiva, espiritual y práctica, para el ejercicio del ministerio sagrado.

« Variationes » y « Emendationes » en el Misal Romano (pp. 34-43)

Como consecuencia de la abolición del subdiaconado, se ha hecho necesaria la supresión de los números que tratan de él en la « Institutio generalis Missalis romani », así como la modificación de otros. Al publicar estas « Variationes », la Congregación del Culto Divino pone en evidencia el principio de « la verdad » en el ejercicio de los distintos oficios en las acciones litúrgicas. Por eso se insiste en que el oficio del diaconado lo ejerciten diáconos *verdaderos*, y en que los sacerdotes participen en la celebración de la Eucaristía « *more sacerdotali* ».

También se dan a conocer algunas « correcciones », debidas a errores tipográficos, que hay que subsanar en las nuevas ediciones del Misal Romano. Se da así mismo una explicación acerca del uso de la Biblia en las ediciones latinas. Debe irse adoptando progresivamente la versión de la Pont. Comisión de la Neo-Vulgata. Se expone en qué medida se ha llevado a cabo ya esto en los libros litúrgicos renovados, ya publicados.

Tercera Sesión Plenaria (pp. 44-46)

En noviembre de 1972 se celebró la tercera sesión plenaria de la Congregación del Culto Divino. Trató en particular de los nuevos ritos de los ministerios, publicados después, del directorio para la Misa con los niños y del *Ordo Paenitentiae*.

SUMMARY

New discipline and rites on the « Ministries » (pp. 4-33)

A large part of this publication is devoted to the documents dealing with the reform of the "minor orders" and the institution of the new discipline of the "ministries". Apart from the documents issued by the Holy Father on the 15th August 1972 and the decree of the Congregation for Divine Worship, which publishes the new rites, a commentary gives the background to the preparation of the documents and the rites and the principles on which the reform of the "minor orders" is based. It is based on the right of the Church to alter, add to or take away from anything relating to the ministries, which is not proper to the sacrament of the order. The history of the Church shows that in this field there has been much diversity at various times and in the Western and Eastern Churches. The need of a reform, which was already felt at the time of the Council of Trent became more acute after Vatican II, with the permanent diaconate and the introduction of the liturgical reform, so that a need was felt for the rites and offices entrusted to the persons to correspond to the "truth", to the needs of the Church and that in the liturgical actions each one should carry out "everything and only that which appertains to him". With the abolition of the "minor orders" the ministries are instituted, which according to the needs of various areas, can be conferred on laymen. There is a special consideration for candidates for the diaconate and priesthood, for whom the ministries retain the value of progressive, spiritual and practical preparation for the exercise of the sacred ministry.

« Variationes » and « Emendationes » to the Roman Missal (pp. 34-43)

Following the abolition of the subdiaconate, the suppression has become necessary of the numbers dealing with it in the "Institutio generalis Missalis romani" and the modification of others. In publishing these "Variationes" the Congregation for Divine Worship brings out the principle of the "truth" in the exercise of the various offices in liturgical actions. Insistence is therefore placed on the office of deacon being exercised by *real deacons* and priests taking part in the celebration of the Eucharist "*more sacerdotali*". Some corrections are also published, of printing errors, to be made to the new editions of the Roman Missal. There is also an explanation of the use of the Bible in Latin editions. The version of the Pontifical Commission for the Neo-Vulgate is to be brought into use progressively. How far this has been done in the revised liturgical books already published is pointed out.

Third Plenary Session (pp. 44-46)

In November 1972 the third plenary session of the Congregation for Divine Worship was held. In particular it dealt with the new rites for the ministries which have been published, the directive for the Mass with children and the *Ordo Paenitentiae*.

Neuordnung der kirchlichen Dienste (S. 4-33)

Ein Großteil des Heftes ist den Dokumenten gewidmet, mit denen die Reform der ehemaligen « niederen Weihen » durchgeführt und die Einweisung in einige kirchliche Dienste neu geordnet wurde. Außer den päpstlichen Dokumenten vom 15. August 1972 und dem Dekret der Gottesdienstkongregation, mit dem die neuen Riten publiziert wurden, bringt das Heft einen Kommentar, der Dokumente und Riten beschreibt und die Grundsätze aufzeigt, nach denen sich die Reform der « niederen Weihen » richtete. Die Kirche hat das Recht, Dienste, die nicht dem Weihesakrament eigen sind, zu ändern, zu vermehren oder zu vermindern. Die Kirchengeschichte zeigt, welch große Unterschiedlichkeit es auf diesem Gebiet während verschiedener Epochen und in den verschiedenen Kirchen von Ost und West gab. Die Notwendigkeit einer Reform innerhalb der Westkirche wurde bereits zur Zeit des Konzils von Trient gespürt und hat sich nach dem Zweiten Vatikanum verschärft, als der ständige Diakonats eingeführt und für die Liturgiereform das Prinzip aufgestellt worden war, daß Riten und Dienste im Gottesdienst der « Wahrhaftigkeit », d. h. dem tatsächlichen Bedürfnis der Kirche, entsprechen sollen und daß im Gottesdienst jeder « alles und nur das ausführen soll, was ihm zusteht ». Nach Abschaffung der « niederen Weihen » sind nun « Dienste » geschaffen worden, die entsprechend den jeweiligen Bedürfnissen Laien übertragen werden. Ein besonderes Augenmerk ist dabei auf die Kandidaten zum Diakonats und Presbyterats gelegt, für die diese Dienste einen gewissen Wert als geistliche und praktische Vorbereitung auf die Ausübung ihres späteren Amtes behalten.

Änderungen im Römischen Meßbuch (S. 34-43)

Infolge der Abschaffung des Subdiakonats wurde es nötig, in der « Allgemeinen Einführung zum Römischen Meßbuch » die Nummern zu tilgen bzw. zu ändern, die vom Subdiakon sprechen. Durch die Veröffentlichung der « Variationes » will die Gottesdienstkongregation das Prinzip der « Wahrhaftigkeit » in der Ausübung der verschiedenen Dienste beim Gottesdienst betonen. Daher wird insistiert, daß das Amt des Diakons wirklich von Diakonen ausgeübt wird; Priester sollten an der Eucharistiefeier « *more sacerdotali* » teilnehmen.

Gleichzeitig werden einige Druckfehler bekannt gegeben, die in den neuen Ausgaben des Römischen Meßbuchs berücksichtigt werden sollen. Auch bezüglich des in den lateinischen Ausgaben verwendeten Bibeltextes wird eine Erklärung gegeben. Nach und nach muß die Übersetzung der Päpstlichen Kommission für die Neo-Vulgata übernommen werden; z. T. ist dies in den erneuerten liturgischen Büchern bereits geschehen.

Dritte Plenaria (S. 44-46)

Im November 1972 tagte die dritte Vollversammlung der Gottesdienstkongregation. Verhandlungsgegenstände waren die neuen Riten für die Einweisung in die kirchlichen Dienste, die inzwischen veröffentlicht sind, ein Direktorium für Kindermessen und der künftige *Ordo Paenitentiae* des Römischen Rituals.

SACRA CONGREGATIO
PRO CULTU DIVINO

Notitiae

VOL. IX
1973

CITTÀ DEL VATICANO

DE LIBRIS LITURGIAE HORARUM LINGUA VERNACULA EDENDIS

Liturgiae Horarum interpretationes vulgari sermone edendae ubique alacri studio parantur. Difficultates technicas, quae e notabili mole quattuor voluminum profluunt, diversimode editores aggrediuntur et superare conantur. Etenim et editionis typicae operarii in eodem discrimine inciderunt sed aliam solutionem non invenerunt nisi donantes sufficientia propria (« autonomia ») unumquodque e quattuor voluminibus et exinde quasdam eorum partes pluries referendo.

Estne possibile hoc evitare? Technici redactores et typographici videant. Sed quacumque ratione agatur, hoc omnino praestat, ne imponatur sacerdoti editionem quae difficilem reddat recitationem Officii lectionis, verbi gratia duo volumina simul adhibere, alterum pro Officio lectionis alterum pro officio « diurno », vel alias solutiones huiusmodi.

Hoc incommodum certe erit et facilem ansam praebebit officium lectionis neglegendi. Quod quidem pars integralis est universae Liturgiae Horarum. Lectio cotidiana patristica praeter biblicam inter praecipuas novitates computatur renovati Officii divini, et « in magnum spiritus profectum cedit » sive eorum qui modo peculiari sunt Domino consecrati, sive christifidelium (cf. *IGMR*, 55).

Ut ministri sacri acceptum Ecclesiae mandatum integrum cursum Liturgiae Horarum cotidie persolvendi fideliter adimpleant, expedit media apta, scilicet commodam editionem, eis praebere: cuius erit cura redactoribus et editoribus.

« MINISTERIA QUAEDAM »

PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE
QUIBUS DISCIPLINA CIRCA PRIMAM TONSURAM
ORDINES MINORES ET SUBDIACONATUM
IN ECCLESIA LATINA INNOVATUR

MINISTERIA QUAEDAM ad cultum Deo rite exhibendum et ad populi Dei servitium iuxta necessitates praestandum vetustissimis iam temporibus ab Ecclesia instituta fuerunt; quibus sacrae liturgiae et caritatis officia exercenda fidelibus committebantur, variis rerum adiunctis accommodata. Horum munerum collatio peculiari ritu saepius fiebat, quo fidelis, benedictione Dei impetrata, ad officium aliquod ecclesiasticum adimplendum in speciali classi seu gradu constituebatur.

Nonnulla ex his muneribus, cum actione liturgica arctius conexas, praeviae institutiones ad sacros ordines recipiendos paulatim habita sunt, ita ut Ostiarius, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus minores ordines in Ecclesia Latina appellarentur respectu Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, qui ordines maiores vocati sunt et, etsi non ubique, iis generatim reservabantur, qui per illos ad Sacerdotium ascendebant.

Attamen cum ordines minores non semper iidem exstiterint ac plura munera ipsis adnexa reapse, sicut nunc quoque accidit, etiam a laicis exerciti sint, opportunum videtur praxim hanc recognoscere eamque hodiernis necessitatibus accommodare, ita ut ea, quae in illis ministeriis obsoleta sint, dimittantur; quae utilia, retineantur; si quae necessaria, constituentur; itemque, quid a candidatis ad ordinem sacrum exigendum statuatur.

Dum Concilium Oecumenicum Vaticanum II apparabatur, haud pauci Ecclesiae pastores preces detulerunt, ut ordines minores et Subdiaconatus recognoscerentur. Concilium autem, licet nihil de hac re pro Ecclesia Latina decerneret, enuntiavit principia quaedam, quibus aperiretur via ad quaestionem enodandam, ac dubium non est, quin normae a Concilio

* AAS 64, 1972, pp. 529-534.

latae, generalem ordinatamque liturgiae renovationem respicientes,¹ ea quoque complectantur, quae ad ministeria in coetu liturgico spectant, ita ut ex ipsa celebrationis ordinatione appareat Ecclesia in suis diversis ordinibus et ministeriis constituta.² Propterea Concilium Vaticanum II statuit, ut *in celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet.*³

Cum hac vero assertionem arcte conecitur id, quod paulo ante in eadem Constitutione scriptum est: *Valde cupit Mater Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad quam populus christianus « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (1 Pt 2, 9; cf. 2, 4-5), vi Baptismatis ius habet et officium. Quae totius populi plena et actiosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; et ideo in tota actione pastoralis, per debitam institutionem ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.*⁴

In officiis peculiaribus servandis et ad hodiernas necessitates accommodandis, continentur ea, quae praesertim cum ministeriis Verbi et Altaris arctius conecuntur et in Ecclesia Latina Lectoratus, Acolythatus et Subdiaconatus vocantur; quos ita servari et accommodari convenit, ut duplex ex hoc tempore habeatur munus: *Lectoris* nempe et *Acolythi*, quod et Subdiaconi partes complectatur.

Praeter officia Ecclesiae Latinae communia, nihil obstat, quominus Conferentiae Episcopales alia quoque petant ab Apostolica Sede, quorum institutionem in propria regione necessariam vel utilissimam, ob peculiare rationes, iudicaverint. Ad haec pertinent ex. gr. munera *Ostiarum*, *Exorcistae* et *Catechistae*,⁵ necnon alia munera iis mandanda, qui

¹ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 62: AAS 56, 1964, p. 117; cf. etiam 21: *l. c.*, pp. 105-106.

² Cf. Ordo Missae, *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 58, ed. typ. 1969, p. 29.

³ Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 28: AAS 56, 1964, p. 107.

⁴ *Ibid.*, 14: *l. c.*, p. 104.

⁵ Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes*, n. 15: AAS 58, 1966, p. 965; *ibid.*, n. 17: *l. c.*, pp. 967-968.

operibus caritatis sunt addicti, ubi hoc ministerium diaconibus non sit collatum.

Congruit autem cum rei veritate et hodierno mentis habitu, ut ministeria, de quibus supra, non amplius ordines minores vocentur; eorum vero collatio non « ordinatio » sed « institutio » appelletur; clerici autem proprie ii tantum sint et habeantur, qui Diaconatum receperunt. Hac ratione melius etiam apparebit discrimen inter clericos et laicos; inter ea, quae clericis sunt propria et reservantur, atque ea, quae christifidelibus laicis demandari possunt; ideo apertius apparebit mutua ratio, quatenus *sacerdotium ... commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, licet essentia et non gradu tantum differant, ad invicem tamen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant.*⁶

Omnibus igitur mature perpensis, peritorum voto exquisito atque Conferentiis Episcopalibus consultis earumque sententiis attentis, necnon collatis consiliis cum Venerabilibus Fratribus Nostris membris Sacrarum Congregationum, ad quas res pertinet, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ea, quae sequuntur, derogando — si et quatenus opus sit — praescriptis Codicis Iuris Canonici hucusque vigentis, eademque hisce Litteris promulgamus.

I. Prima Tonsura non amplius confertur; ingressus vero in statum clericalem cum Diaconatu coniungitur.

II. Ordines, qui hucusque minores vocabantur, « ministeria » in posterum dicendi sunt.

III. Ministeria christifidelibus laicis committi possunt, ita ut candidatis ad sacramentum Ordinis reservata non habeantur.

IV. Ministeria in tota Ecclesia Latina servanda, hodiernis necessitatibus accommodata, duo sunt, *Lectoris* nempe et *Acolythi*. Partes, quae hucusque Subdiacono commissae erant, Lectori et Acolytho conceduntur, ac proinde in Ecclesia Latina ordo maior Subdiaconatus non amplius habetur. Nihil tamen obstat, quominus, ex Conferentiae Episcopalis iudicio, Acolythus alicubi etiam Subdiaconus vocari possit.

V. Lector instituitur ad munus, quod est ei proprium, legendi in coeto liturgico verbum Dei. Quapropter in Missa et in aliis sacris actio-

⁶ Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 10: *AAS* 57, 1965, p. 14.

nibus, lectiones (non autem Evangelium) e Sacra Scriptura proferat; deficiente psalmista, psalmum inter lectiones recitet; intentiones orationis universalis enuntiet, ubi diaconus vel cantor praesto non sint; cantum moderetur et populi fidelis participationem dirigat; fideles ad Sacramenta digne recipienda instituat. Poterit quoque — quatenus opus sit — praeparationem curare aliorum fidelium, qui ex temporanea deputatione in actionibus liturgicis Sacram Scripturam legant. Quo autem aptius atque perfectius hisce muneribus fungatur, Sacras Scripturas assidue meditetur.

Lector suscepti officii conscius, omni ope contendat atque apta subsidia adhibeat, quo plenius in dies sibi acquirat suavem et vivum Sacrae Scripturae affectum⁷ atque cognitionem, quibus perfectior fiat Domini discipulus.

VI. Acolythus instituitur, ut Diaconum adiuvet ac Sacerdoti ministret. Eius igitur est servitium altaris curare, Diacono atque Sacerdoti opitulari in liturgicis actionibus, praesertim in Missae celebratione; eiusdem praeterea, qua ministri extraordinarii, est Sanctam Communionem distribuere, quoties ministri, de quibus in can. 845 C.I.C., desunt vel propter adversam valetudinem, provectam aetatem vel aliud pastorale ministerium impediuntur aut quoties numerus fidelium ad Sacram Mensam accedentium tam ingens est, ut Missae celebratio nimis protrahatur. Iisdem in extraordinariis adiunctis ei mandari licebit, ut SS. Eucharistiae Sacramentum fidelium adorationi publice exponat ac postea reponat; non autem ut populo benedicat. Poterit quoque — quatenus opus sit — aliorum fidelium institutionem curare, qui ex temporanea deputatione sacerdoti vel diacono in liturgicis actionibus opitulantur, missale, crucem, cereos, etc., deferendo vel alia huiusmodi officia exercendo. Quae munera dignius exsequetur, si SS. Eucharistiam flagrantiore in dies pietate participet, de ipsa enutriatur eiusque altiorem cognitionem adipiscatur.

Acolythus, servitio altaris peculiari modo destinatus, ea omnia, quae ad publicum cultum divinum pertinent, discat, eorumque intimum et spirituales sensum percipere studeat, ita ut cotidie se totum offerat Deo atque omnibus gravitate et reverentia exemplo sit in templo sacro, necnon Christi corpus mysticum seu populum Dei, praesertim vero debiles et infirmos, sincero amore prosequatur.

⁷ Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 24: AAS 56, 1964, p. 107; Const. *Dei Verbum*, n. 25: AAS 58, 1966, p. 829.

VII. Institutio Lectoris et Acolythi, iuxta venerabilem traditionem Ecclesiae, viris reservatur.

VIII. Ut quis ad ministeria consequenda admitti possit, requiruntur:

a) petitio ab adspirante libere exarata ac subscripta exhibenda Ordinario (Episcopo et, in institutis perfectionis clericalibus, Superiori Maiori), penes quem est acceptio;

b) congrua aetas et peculiares dotes, a Conferentia Episcopali determinandae;

c) firma voluntas fideliter Deo famulandi et christiano populo serviendi.

IX. Ministeria conferuntur ab Ordinario (Episcopo et, in institutis perfectionis clericalibus, Superiore Maiore) ritu liturgico « de institutione Lectoris » et « de institutione Acolythi » a Sede Apostolica recognoscendo.

X. Interstitia, a S. Sede aut a Conferentiis Episcopalibus statuta, servantur inter collationem ministerii Lectoratus et Acolythatus, quoties eisdem personis non unum tantum confertur ministerium.

XI. Candidati ad Diaconatum et ad Sacerdotium ministeria Lectoris et Acolythi recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere debent, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris. Dispensatio a suscipiendis ministeriis pro iisdem candidatis Sanctae Sedi reservatur.

XII. Collatio ministeriorum ius non confert ad sustentationem vel remunerationem ab Ecclesia praestandas.

XIII. Ritus institutionis Lectoris et Acolythi a competenti Romanae Curiae Dicasterio proxime publici iuris fiet.

Hae normae valere incipiunt a die 1 mensis Ianuarii, anno MCMLXXIII.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die xv mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis B. Mariae Virginis, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri decimo.

PAULUS PP. VI

« AD PASCENDUM »

PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO
DATAE QUIBUS NONNULLAE NORMAE
AD SACRUM DIACONATUS ORDINEM
SPECTANTES STATUUNTUR

AD PASCENDUM populum Dei eumque magis magisque augendum a Christo Domino varia in Ecclesia ministeria instituta sunt, totius Corporis bono conducibilia.¹

Iam inde ab ipsa Apostolorum aetate eminet inter illa ministeria et conspicuus apparet Diaconatus, qui in Ecclesia magno semper in honore habitus est. Quod quidem expressis verbis testatur S. Paulus Apostolus sive in epistula ad Philippenses, ubi non modo Episcopis sed etiam Diaconis salutem nuntiat,² sive in litteris ad Timotheum datis, quibus Diaconorum illustrat dotes et virtutes pernecessarias, ut ii proprio ministerio digni comprobentur.³

Prisci deinde Ecclesiae scriptores, dum praedicant Diaconorum dignitatem, non omittunt, quominus animi ornamenta ac virtutes simul extollant, quae ad idem exsequendum ministerium postulantur, scilicet erga Christum fidelitatem, morum integritatem, Episcopo obtemperationem.

S. Ignatius Antiochenus Diaconi officium nihil aliud esse asseverat quam *ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit*,⁴ atque haec animadvertit: *Oportet autem et Diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum Diaconi sunt, sed ecclesiae Dei ministri*.⁵

* AAS 64, 1972, pp. 534-540.

¹ Cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 18: AAS 57, 1965. pp. 21-22.

² Cf. *Phil* 1, 1.

³ Cf. *1 Tim* 3, 8-13.

⁴ *Ad Magnesios*, IV, 1: *Patres Apostolici*, ed. F. X. FUNK, I, Tubingae 1901, p. 235.

⁵ *Ad Trallianos*, II, 3: *Patres Apostolici*, ed. F. X. FUNK, I, Tubingae 1901, p. 245.

S. Polycarpus Smyrnaeus Diaconos adhortatur, ut sint *continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est*.⁶ Auctor vero operis quod *Didascalia Apostolorum* inscribitur, verba Christi commemorans: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister*,⁷ fraternam hanc adhortationem Diaconis adhibet: *Ita ergo et vos Diaconos oportet facere, ut, si necessitas vos exegerit et animam pro fratre ponere per ministerium vestrum, ponatis ... Si ergo Dominus coeli et terrae nobis serviit et omnia passus est propter nos et sustinuit, quomodo non magis nos oportet hoc facere pro fratribus, quia imitatores eius sumus et locum Christi sortiti?*⁸

Praeterea priorum saeculorum auctores, dum ministerii Diaconorum momentum animis inculcant, copiose etiam explicant multiplicia et gravia munera iis concredita, atque aperte declarant, quantum auctoritatis apud christianas communitates consecuti sint et quantopere ad apostolatam contulerint. Definitur Diaconus ut *Episcopi auris et os et cor et anima*.⁹ Episcopo Diaconus praesto est, ut omni deserviat populo Dei curamque gerat infirmorum atque inopum;¹⁰ recte igitur ac merito eum appellant *amatorem orphanorum, amatorem colentium pietatem, amatorem viduarum, ferventem spiritu, amatorem bonarum rerum*.¹¹ Officium insuper ei mandatur, ut aegris domi decumbentibus sacram Eucharistiam deferat,¹² baptismum conferat,¹³ verbo Dei praedicando det operam ad voluntatem nutumque Episcopi.

Itaque Diaconatus in Ecclesia mirabiliter effloruit simulque insigne praebuit testimonium amoris erga Christum ac fratres in caritatis ope-

⁶ *Epist. ad Philippenses*, V, 2: *Patres Apostolici*, ed. F. FUNK, I, Tubingae 1901, pp. 301-303.

⁷ *Mt* 20, 26-27.

⁸ *Didascalia Apostolorum*, III, 13, 2-4: *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, ed. F. X. FUNK, I, Paderbornae 1906, p. 214.

⁹ *Didascalia Apostolorum*, II, 44, 4; ed. F. X. FUNK, I, Paderbornae 1906, p. 138.

¹⁰ Cf. *Traditio Apostolica*, 39 et 34: *La Tradition Apostolique de Saint Hippolyte. Essai de reconstitution* par B. BORTE, Münster 1963, pp. 87 et 81.

¹¹ *Testamentum D. N. Iesu Christi*, I, 38; ed. et latine redd. I. E. RAHMANI, Moguntiae 1899, p. 93.

¹² Cf. S. IUSTINI, *Apologia* I, 65, 5 et 67, 5: S. IUSTINI, *Apologiae duae*; ed. G. RAUSCHEN, Bonnæ 1911³, pp. 107 et 111.

¹³ Cf. TERTULLIANUS, *De Baptismo*, XVII, 1: *Corpus Christianorum*, I, *Tertulliani Opera*, pars I, Turnholi 1954, p. 291.

ribus exsequendis,¹⁴ in ritibus sacris celebrandis¹⁵ atque in pastoralibus perfungendis muneribus.¹⁶

Diaconali autem officio exercendo, qui presbyteri futuri erant, illud sui experimentum ac laborum merita praebebant atque eam praeparationem acquirebant, quae ad sacerdotalem honorem ac pastorale officium consequendum expetebantur.

Progredientibus vero aetatibus disciplina ad hunc spectans ordinem sacrum immutata est. Firmiter quidem factum est vetitum ordinationes *per saltum* conferendi, at paulatim decrevit eorum numerus, qui per omnem vitam mallerent diaconi permanere quam altius ascendere. Ita factum est, ut in Ecclesia Latina paene evanuerit Diaconatus permanens. Vix commemorare attinet ea, quae Tridentinum Concilium decrevit, cum sibi proposuisset ordines sacros secundum propriam eorum naturam reintegrare ut munia pristina in Ecclesia;¹⁷ multo tamen serius mens maturuit, ut hic magni momenti ordo sacer etiam tamquam gradus vere permanens restitueretur. Rem celeriter attingit etiam Decessor Noster fel. rec. Pius XII.¹⁸ Concilium denique Vaticanum II optatis et precibus suffragatum est, ut Diaconatus permanens, ubi id animarum bono conducere, instauraretur veluti medius ordo inter superiores ecclesiasticae hierarchiae gradus et reliquum populum Dei, quasi interpret necessitatum ac votorum christianarum communitatum, instimulator famulatus seu *diaconiae* Ecclesiae apud locales christianas communitates, signum vel sacramentum ipsius Christi Domini, qui *non venit ministrari, sed ministrare*.¹⁹

Quapropter tertia in Concilii sessione, mense Octobri anno MCMLXIV habita, ratum habuerunt Patres principium renovationis Diaconatus, atque insequenti mense Novembri promulgata est Constitutio

¹⁴ Cf. *Didascalia Apostolorum*, II, 31, 2: ed. F. X. FUNK, I. Paderbornae 1906, p. 112; cf. *Testamentum D. N. Iesu Christi*, I, 31: ed. et latine redd. I. E. RAHMANI, Moguntiae 1899, p. 75.

¹⁵ Cf. *Didascalia Apostolorum*, II, 57, 6; 58, 1: ed. F. X. FUNK, I, Paderbornae 1906, pp. 162 et 166.

¹⁶ Cf. S. CYPRIANI, *Epistolae* XV et XVI: ed. G. HARTEL, Vindobonae 1871, pp. 513-520; cf. S. AUGUSTINUS, *De catechizandis rudibus*, I, cap. I, 1: PL 40, 309-310.

¹⁷ Sessio XXIII, capp. I-IV: MANSI, XXXIII, col. 138-140.

¹⁸ *Allocutio ad eos qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe pro Laicorum Apostolatu* Romae habita, die 5 Octobris anno 1957: AAS 49, 1957, p. 925.

¹⁹ Cf. Mt 20, 28.

Dogmatica *Lumen Gentium*, cuius articulo 29 praecipua lineamenta illius status propria describuntur: *In gradu inferiori hierarchiae sistunt Diaconi, quibus « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in Diaconia liturgiae, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt.*²⁰

De stabilitate vero in diaconali gradu, eadem Constitutio haec declarat: *Cum vero haec [Diaconorum] munera, ad vitam Ecclesiae summo opere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit.*²¹

Restitutio autem haec permanentis Diaconatus postulabat, ut Concilii mandata altius pervestigarentur atque ut mature deliberaretur de iuridica condicione Diaconi, tam caelibis quam matrimonio iuncti. Simul vero necesse erat, ut ea, quae ad Diaconatum eorum, qui Sacerdotes futuri sunt, spectant, ad hodiernas condiciones aptarentur, ut revera Diaconatus exercitium eam praeberet probationem vitae, maturitatis atque ad sacerdotale ministerium aptitudinis, quam vetus disciplina a candidatis ad Presbyteratum postulabat.

Quam ob rem Apostolicas Litteras, motu proprio datas, a verbis incipientes *Sacrum Diaconatus Ordinem*, die XVIII mensis Iunii anno MCMLXVII edidimus, quibus congruentes normae canonicae de Diaconatu permanenti statutae sunt.²² Die autem XVII Iunii anno sequenti, per Constitutionem Apostolicam *Pontificalis Romani Recognitio*,²³ novum ritum sanximus conferendorum ordinum sacrorum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, materia ac forma ipsius ordinationis simul definitis.

Nunc autem, dum, ulterius procedentes, hoc ipso die Apostolicas Litteras, a verbis *Ministeria quaedam* incipientes, promulgamus, expedire arbitramur certas edere normas circa Diaconatum; itemque volumus, ut candidati ad Diaconatum noscant, quae ministeria ipsi exercere debeant ante sacram ordinationem, necnon quo tempore et qua ratione onera caelibatus et precationis liturgicae sibi assumenda sint.

²⁰ AAS 57, 1965, p. 36.

²¹ *Ibid.*

²² AAS 59, 1967, pp. 697-704.

²³ AAS 60, 1968, pp. 369-373.

Cum vero ingressus in statum clericalem ad Diaconatum differatur, non amplius habetur ritus primae tonsurae, quo laicus fiebat clericus. Attamen novus ritus inducitur, quo is, qui ad Diaconatum vel Presbyteratum adspirat, publice manifestat suam voluntatem se Deo et Ecclesiae offerendi, ut sacrum ordinem exerceat; Ecclesia vero, hanc oblationem accipiens, eum eligit et vocat, ut ad sacrum ordinem recipiendum se praeparet, et hac ratione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum rite cooptetur.

Peculiari autem ratione convenit, ut ministeria Lectoris et Acolythi committantur iis, qui ut candidati ad ordinem sacrum specialiter se Deo et Ecclesiae devovere cupiunt. Ecclesiae enim, quippe quae *non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere*,²⁴ valde opportunum existimat, ut sacrorum ordinum candidati tum studio tum exercitio, quod gradatim fiat, ministerii Verbi et Altaris, duplicem hunc sacerdotalis muneris aspectum familiari consuetudine perspiciant atque meditentur. Ex quo fit, ut veritas ministerii maxima eniteat efficacitate. Candidati, enim, ad sacros ordines accedant, suae vocationis plane conscii, *spiritu ferventes, Domino servientes ... orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes*.²⁵

Omnibus igitur mature perpensis, peritorum voto exquisito atque Conferentiis Episcopalibus consultis earumque sententiis attentis, necnon collatis consiliis cum Venerabilibus Fratribus Nostris membris Sacrarum Congregationum, ad quas pertinet, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ea, quae sequuntur, derogando — si et quatenus opus sit — praescriptis Codicis Iuris Canonici hucusque vigentis, eademque hisce Litteris promulgamus.

I. a) Ritus inducitur admissionis inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum. Ad quam admissionem rite habendam requiritur libera adspirantis petitio, propria manu exarata ac subscripta, necnon competentis Superioris ecclesiastici acceptio scripto data, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

Professi in religionibus clericalibus, ad Presbyteratum contententes, hoc ritu non tenentur.

²⁴ Conc. Vat. II, Const. *Dei Verbum*, n. 21: AAS 58, 1966, p. 827.

²⁵ *Rom* 12, 11-13.

b) Superior competens pro hac acceptione est Ordinarius (Episcopus et, in clericalibus institutis perfectionis, Superior Maior). Acceptari possunt ii, qui signa verae vocationis praebeant, atque, bonis moribus ornati et, a mentis corporisque defectibus immunes, vitam suam Ecclesiae servitio dicare velint ad Dei gloriam animarumque bonum. Oportet, ut, qui ad Diaconatum transeuntem adspirant, vigesimum saltem aetatis annum expleverint et studiorum theologicorum curriculum coeperint.

c) Vi acceptionis candidatus vocationem suam peculiari modo curare altiusque excolere debet; atque ius acquirit ad necessaria subsidia spiritualia, quibus vocationem suam colere atque Dei voluntati, nulla condicione apposita, obtemperare possit.

II. Candidati ad Diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, et ad Presbyteratum ministeria Lectoris et Acolythi debent recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris.

Dispensatio a recipiendis ministeriis pro iisdem candidatis Sanctae Sedi reservatur.

III. Ritus liturgici, quibus fit admissio inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum ac ministeria supra memorata demandantur, peragi debent ab Ordinario (Episcopo et, in clericalibus institutis perfectionis, Superiore Maiore) adspirantis.

IV. Interstitia a S. Sede vel a Conferentiis Episcopalibus statuta, servantur inter collationem — per curriculum theologicum habendam — ministeriorum Lectoratus et Acolythatus, necnon inter collationem Acolythatus et Diaconatus.

V. Candidati ad Diaconatum, ante ordinationem, Ordinario (Episcopo et, in clericalibus institutis perfectionis, Superiori Maiori) tradant declarationem propria manu exaratam et subscriptam, qua testificentur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturos esse.

VI. Consecratio propria caelibatus, propter Regnum caelorum servati, huiusque obligatio pro candidatis ad Sacerdotium et pro candidatis non uxoratis ad Diaconatum reapse conectuntur cum Diaconatu. Publica ipsius sacri caelibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebranda est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem

praecedat. Caelibatus hoc modo assumptus impedimentum dirimens est ad nuptias ineundas.

Diaconi quoque uxorati, amissa uxore, ex tradita Ecclesiae disciplina ad novum matrimonium ineundum inhabiles sunt.²⁶

VII. a) Diaconi ad Presbyteratum vocati ne ordinentur nisi prius expleverint studiorum curriculum, Apostolicae Sedis praescriptionibus definitum.

b) Quod spectat ad theologorum studiorum cursum, ordinationi Diaconorum permanentium praeponendum, Episcoporum Conferentiae, attentis locorum adiunctis, congruas normas tradant easque Sacrae Congregationi pro Institutione Catholica approbationi subiciant.

VIII. Ad normam nn. 29-30 Institutionis generalis de Liturgia Horarum:

a) Diaconi ad Presbyteratum vocati ex ipsa sacra ordinatione obstringuntur obligatione Liturgiam Horarum celebrandi;

b) maxime decet stabiles Diaconos aliquam saltem partem Liturgiae Horarum, ab Episcopali Conferentia definiendam, cotidie recitare.

IX. Ingressus in statum clericalem et incardinatio alicui dioecesi ipsa ordinatione Diaconali habentur.

X. Ritus admissionis inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum necnon consecrationis propriae sacri caelibatus a competenti Romanae Curiae Dicasterio proxime iuris publici fiet.

NORMA TRANSITORIA. — Candidati ad sacramentum Ordinis, qui ante promulgationem harum Litterarum Primam Tonsuram iam receperunt, omnia officia, iura et privilegia clericorum propria retinent; qui vero ad ordinem Subdiaconatus sunt promoti, susceptis obligationibus sive circa caelibatum sive circa Liturgiam Horarum tenentur; at publicam sacri caelibatus assumptionem coram Deo et Ecclesia, novo speciali ritu, qui ordinationem Diaconalem praecedat, iterum celebrare debent.

²⁶ Cf. PAULUS VI, Litt. Apost. motu proprio datae *Sacrum Diaconatus Ordinem*, n. 16: AAS 59, 1967, p. 701.

Quaecumque vero a Nobis per has Litteras, motu proprio datas, decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis nihil obstantibus. Statuimus autem, ut ea vigere incipiant a die 1 mensis Ianuarii, anno MCMLXXIII.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xv mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis B. Mariae Virginis, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri decimo.

PAULUS PP. VI

PRECISAZIONE CIRCA IL MOTU PROPRIO
« MINISTERIA QUAEDAM »

La stampa di varie nazioni, nel presentare ai propri lettori le due recenti lettere apostoliche *Ministeria quaedam* e *Ad pascendum*, riguardanti la nuova disciplina dei *ministeri sacri*, sostitutivi della prima tonsura, degli ordini minori e del suddiaconato, e l'ammissione al diaconato, ha espresso contrastanti commenti al n. VII del Motu proprio *Ministeria quaedam*, che riserva agli uomini l'*istituzione* del lettore e dell'accollito.

A questo proposito conviene osservare che il Motu proprio *Ministeria quaedam* ha aperto ai laici l'accesso a quei ministeri che, come ordini minori, erano in precedenza riservati ai soli chierici. In merito all'esercizio, da parte delle donne, di alcuni uffici nella liturgia, il Motu proprio non ha inteso portare innovazioni e si è attenuto alle norme finora vigenti. Del resto, non sarebbe stato opportuno anticipare o pregiudicare quanto in seguito potrebbe essere stabilito, dopo lo studio sulla partecipazione delle donne alla vita comunitaria nella Chiesa, studio che alcuni vescovi hanno auspicato nel corso del Sinodo del 1971.

Perciò — come già espressamente ha dichiarato il rev.mo P. Dezza nella conferenza stampa del 14 settembre, durante la quale ha presentato i due documenti pontifici — nulla impedisce che le donne continuino ad essere incaricate di pubbliche letture durante le celebrazioni liturgiche, come stanno appunto facendo da alcuni anni in base alla Istituzione generale del nuovo Messale Romano, promulgato il 3 aprile 1969; né occorre, per questo servizio, una formale e canonica investitura (*Institutio*), da parte del vescovo.

Parimente, secondo le norme vigenti, i vescovi possono sempre chiedere alla Santa Sede l'autorizzazione perché anche le donne distribuiscano, come ministri straordinari, la santa comunione.

Questo è il senso preciso della norma n. VII del Motu proprio *Ministeria quaedam*.

(L'Osservatore Romano, 6 ottobre 1972)

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 1500/72

DECRETUM

Ministeriorum disciplina a Summo Pontifice Paulo VI instaurata per Litteras Apostolicas *Ministeria quaedam*, die 15 augusti 1972 Motu proprio datas, ac normis ad sacrum Diaconatus ordinem sive transeuntis sive permanentis spectantibus, eodem die statutis per Apostolicas Litteras *Ad pascendum*, Sacra Congregatio pro Cultu Divino ritus apparavit de institutione Lectorum et Acolythorum, de admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum, necnon de sacro caelibatu amplectendo.

Huiusmodi ritus Summus Pontifex Paulus VI auctoritate Sua approbavit evulgarique iussit, ita ut a die 1 ianuarii 1973 lingua latina adhibeantur, lingua autem vernacula a die quem Conferentiae Episcopales pro sua dictione statuerint, postquam translationes in linguas populares approbaverint confirmationemque ab Apostolica Sede obtinuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 3 decembris 1972, in memoria sancti Francisci Xavier.

ARTURUS Card. TABERA
Praefectus

✠ A. Bugnini
*Archiep. tit. Diocletianen.
a Secretis*

* Ritus de quibus in Decreto agitur continentur volumine: *De institutione Lectorum et Acolythorum. De admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum. De sacro caelibatu amplectendo*. Typis Polyglottis Vaticanis 1972, pp. 38.

COMMENTARIUM DE NOVA DISCIPLINA ET RITIBUS CIRCA MINISTERIA

I. ITER HISTORICUM

Quaestio de *ordinibus minoribus* a « Consilio » pertractata est anno 1965. Coetus peculiaris constitutus est, praeside Exc.mo Domino Aemilio Guano. Sessiones habitae sunt Liburni, diebus 1-3 iulii 1965. Relatio examinata est a Coetu Relatorum mensibus maio et septembri anni 1966, et a Patribus « Consilii » in sessione septima, die 7 octobris eiusdem anni.

Schema « Consilii » Summo Pontifici praesentatum non fuit. Interim, ob difficultates quas Episcopi experiebantur in servandis integraliter ritibus Pontificalis Romani sive ob mutatam condicionem rerum sive ob institutionem diaconatus ut ordo stabilis, Conferentiae Episcopales Galliae et Germaniae a Sacra Congregatione pro Cultu Divino petierunt approbationem schematum, quae periti Germaniae et Galliae separatim paraverant, ad experimentum et ad interim adhibendorum, donec aliter provideretur. Huiusmodi schemata fere easdem res proponebant.

Interim tota quaestio iuridica de ordinibus minoribus examinata est a competenti Dicasterio Sanctae Sedis et Congregatio pro Cultu Divino Ordinem apparavit (iunio 1970), qui ad plures peritos transmissus est. Animadversionibus acceptis sive a peritis sive a Sacra Congregatione pro disciplina Sacramentorum, novum schema confectum est, quod Patribus Congregationis plenariae submissum est (10-13 novembris 1970). Patres Congregationis pro Cultu Divino, quinque *vota*, quae sequuntur, protulerunt:

1. *Vox « clericus » servetur tantum pro ordinibus sacris.*

Doctrina recens Summorum Pontificum et Concilii Vaticani II tres ordines sacros episcopatus, presbyteratus et diaconatus praesentat tamquam *ministerium* in Ecclesia et *servitium* populo Dei.

Cum difficultate quoddam corpus personarum cogitari potest, quod a sacra Hierarchia distinguatur, quin servitium peculiare in Ecclesia

exerceat. « Clericus », ut persona quae singularibus privilegiis in societate gaudeat, nostris diebus amplius non accipitur neque a fidelibus neque a sacerdotibus neque a candidatis ad sacerdotium.

2. *Incardinatio habeatur cum primo gradu ordinis sacri, i. e. diaconatu.*

Effectus praecipuus cooptationis inter clericos cum prima tonsura usque nunc erat incardinatio novi clerici in aliqua dioecesi. Si primum votum accipitur, incardinatio remittenda est cum primo gradu ordinis sacri, nempe diaconatu.

3. *Vox « ordinatio » retineatur tantummodo pro ordinibus sacri, qui conferuntur per manuum impositionem.*

Primus gressus ad reservandum verbum « ordinatio » solummodo ordinibus sacris factus est substitutione locutionis « Consecratio Episcopi » cum « ordinatio episcopi », ad significandum intimum nexum trium graduum sacramenti ordinis, qui per manuum impositionem et consecrationis orationem confertur.

Sensus profundior vocabuli « ordinatio » augetur si tantum ordinibus sacris attribuetur, ritibus exclusis qui constituunt ad munus non sacramentale sive liturgicum sive non liturgicum. Quod committitur lectori vel acolytho, qui ad sacramentum ordinis aspirat, non differt a munere a laicis expleto in conventu liturgico. Difficilter, ergo, intelligitur eadem munera habitualiter expleri a quibusdam vi ordinis, ab aliis autem tantummodo vi institutionis.

Substitutione vocabuli « ordinatio » cum « institutio » modus loquendi antiquae Ecclesiae denuo assumitur: lector non ordinatur « sed instituitur cum Episcopus librum illi tradit, quia impositionem manuum non recipit ».¹

4. *Ritus admissionis inter candidatos ad sacramentum ordinis habeat indolem spirituales, non iuridicam. Pro religiosis continetur in ipso actu admissionis in religionem.*

Si vinculum iuridicum inter Episcopum et candidatum ad sacerdotium statuitur receptione primi gradus sacramenti ordinis, nempe diaconatus, ritus admissionis inter candidatos ad diaconatum et ad pre-

¹ Cf. HIPPOLYTUS, *Traditio Apostolica*, 10-13.

sbyteratum spiritualem tantum significationem habere debet. Quae, tamen, parvipendi non potest.

Antequam ad diaconatum accedat candidatus inducitur ad cogitandum de futuris oneribus et de sua praeparatione atque ad orandum ut Deus illi viam ostendat. Ritus admissionis suum momentum habet, etiamsi nullam sequelam iuridicam secumferat. Per sacramentalia, enim, « ad praecipuum sacramentorum effectum suscipiendum homines disponuntur et varia vitae adiuncta sanctificantur ».²

5. *Ampliores facultates Conferentiis Episcopalibus dentur in determinandis ritibus quibus sanctificatur quoddam ministerium liturgicum aut non liturgicum et in ipsis ritibus ordinandis.*

Constitutio de sacra Liturgia multum instat in veritate rituum, qui necessitatibus populi Dei respondere debent. Legitimum ergo videtur ut unaquaeque Conferentia Episcopalis aptare possit omnia ministeria minora necessitatibus peculiaribus sui territorii.

6. *Ad clarificandas res fiat quamprimum commissio mixta peritorum Sacrarum Congregationum de disciplina Sacramentorum, de Institutione catholica et pro Cultu Divino.*

Cum aspectus iuridici, pastores et liturgici inter se arcte conectuntur, praeparatio rituum qui substituant ritum ad clericum faciendum et ordines minores fieri debet collatis consiliis inter peritos supradictorum Dicasteriorum, quae de eadem materia, sub diversis rationibus, curam habent.

Post sessionem plenariam mensis novembris 1970, novum schema rituum, emendatum iuxta animadversiones Patrum et Consultorum,³ missum est ad Conferentias Episcopales una cum schematibus Motu proprio *Ministeria quaedam* et *Ad pascendum*, quae, responsionibus acceptis, publici iuris facta sunt die 15 augusti 1972.

Interim novi ritus concessi sunt « ad experimentum » Episcopis vel Conferentiis Episcopalibus eos petentibus.

² Cf. Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 61.

³ *Ritus admissionis in statum clericalem, ordinationis lectorum et acolythorum et variationes in ritu ordinationis Diaconorum, qui ad presbyteratum accedere cupiunt* (Typis Polyglottis Vaticanis 1971).

II. DE PRINCIPIIS QUIBUS NOVA DISCIPLINA INNITITUR

1. *Ius Ecclesiae.*

Ecclesia ius habet ordines infra diaconatum abolere, mutare, augere, attentis necessitatibus aut utilitatibus, quae singulis temporibus manifestantur.

Hoc demonstratur ex factis historicis.

a) In documentis historicis nulla mentio invenitur alicuius ex ordinibus infra diaconatum, ante finem saeculi II. Primus, Tertullianus commemorat lectoratum; deinde paulatim etiam alii ordines commemorantur.

b) Quomodo res de « ordinibus » se habuerit Romae medio saeculo III scimus ex epistola anni 251 S. Cornelii Papae ad Fabium episc. Antiochenum ubi de Novatiano dicitur:

« Ille vero evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica? In qua non ignorabat (quomodo enim ignorare potuisset?) presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas cum thlibomenis (egenis) plus mille quingentos? ».⁴

In orationibus sollemnibus quae dicuntur feria VI hebdomadae sanctae, et quae saeculo IV-V videntur compositae, « universi ordines » quibus « totum corpus Ecclesiae » constituitur, ita numerantur:

episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistae, lectores, ostiarii, confessores, virgines, viduae et totus populus sanctus Dei.⁵

c) Iste rerum status quoad ordines infra diaconatum minime semper idem Romae permansit. Iam sub fine saeculi IV ostiariatus inferioris conditionis reputatur et extra cursus honorum in Pontificum decretalibus relinquebatur; ita saeculo VII evanuerat ut ne in libris quidem ritualibus legeretur ritus ad eum conferendum.⁶ Praeterea exorcistatus adhuc vigens initio saeculi VI ex testimonio Ioannis diaconi in *Epistola*

⁴ EUSEBIUM, *Hist. eccl.*, VI, 43, n. 11; trad. lat. Rufini.

⁵ Cf. *Sacr. Gelasianum*, n. 404 et 405.

⁶ Cf. M. ANDRIEU, *Les ordres mineurs dans l'ancien rit romain*, in *Revue des sciences religieuses* 5, 1925, pp. 253-254.

ad *Senarium*, n. 10,⁷ evanuit paulo postea, cum iam non aderant catecumeni adulti ad baptismum praeparandi, ut demonstrant Ordines Romani 11 et 35, etc.⁸

Itaque tam in documentis liturgicis quam in Regesto epistolarum S. Gregorii papae omnino ignorantur ostiarii et exorcistae, etsi alia munera seu alii gradus novi inveniuntur ut mansionarii, defensores et huiusmodi.⁹ Ostiariatus et exorcistatus in Ecclesia Romana denuo conferri coepti sunt cum demum, saeculo x, libri germanici introducti sunt et quidem non necessitate vel utilitate, sed artificio.

d) In aliis ecclesiis occidentalibus, magna fuit diversitas in agnoscendis ordinibus minoribus. Acolythatus nisi Romae, et tempore S. Cypriani Carthagine, nullibi inveniebatur. Exorcistae modo inter munera hierarchica, modo inter charismata enumerantur. In ecclesia Cirtensi in Numidia, erant etiam fossores.¹⁰ In Concilio Arelatensi subsignaverunt clerici qui episcopos suos comitabantur, inter quos reperimus diaconos, lectores, exorcistas, nullos vero subdiaconos nec alios.¹¹ Ostiarii tamen, in Gallia, saeculo V, inveniuntur. In Ecclesia hispanica, exstabant ordinationes sacristae, itemque « eius cui cura librorum et scribarum committitur », nulla tamen alia ordinatio ad ordines minores,¹² nisi quod lectores a presbyteris benedicebantur.¹³

Series integra quatuor minorum ordinum in falso Concilio IV Carthaginensi seu in « Statutis Ecclesiae antiquis », a presbytero qui in Gallia Meridionali sub fine saeculi v vivebat, conflatis, artificiose descripta est, nulla disciplina viva seu authentica fundata.

« Statuta Ecclesiae antiqua » talem vero gloriam habuerunt, ut in libros liturgicos franco-gallicos saeculo VIII introducta sint, et ex iis in Pontificale Romano-Germanicum transierint.¹⁴

⁷ Cf. A. WILMART, *Analecta Reginensia*, Città del Vaticano 1933, p. 176.

⁸ Cf. M. ANDRIEU, *art. cit.*, pp. 254-256.

⁹ Cf. B. FISCHER, *Der niedere Klerus bei Gregor dem Großen*, in: *Zeitschrift für katholische Theologie*, 62, 1938, pp. 37-75.

¹⁰ Cf. PL 8, 731.

¹¹ Cf. CC 148, pp. 15-22.

¹² Cf. M. FEROTIN, *Liber ordinum*, 40-46.

¹³ *Ibid.*, 41, nota.

¹⁴ Cf. B. BOTTE, *Le rituel d'ordination des Statuta Ecclesiae antiqua*, in: *Recherches de théologie ancienne et médiévale*, 11, 1939, pp. 223-241, et CH. MUNIER, *Les Statuta Ecclesiae antiqua*, Parisiis 1961.

e) In Oriente autem, exceptis Ecclesiis quae latinae disciplinae se conformaverunt, duos tantum ordines minores inveniuntur, scilicet: subdiaconatus et lectoratus. Numquam omnino fuerunt acolythi. Fuerunt vero ostiarii, at modo valde precario.¹⁵ Fuerunt etiam fossiores, modo item precario.¹⁶ Notandi sunt praeterea « interpretes », in variis documentis ex Palestina saeculo IV oriundis, ut clerici designati.¹⁷ Denique fuerunt psaltae seu psalmistae in Ecclesia Syra, qui munus habebant quasi idem ac lectores, ita ut ordo psaltes nunc simul ac lectoris conferatur in ritu byzantino, in ritu syro-Antiocheno simul ac tonsura, at remanet merum nomen. Quod ad exorcistas attinet, etsi eos ad hierarchiam pertinuisse pauca documenta testantur,¹⁸ plerumque tamen extra hierarchiam esse diserte dicuntur, ut in *Const. Apostol. VIII*, 26. Deinde penitus evanuerunt.¹⁹

f) Inde duo tantum ordines diaconatu inferiores quasi ubique reperti sunt et reapse permanent, scilicet subdiaconatus et lectoratus. Iam ineunte saeculo III describebantur in Hippolyti *Traditione Apostolica*, ita tamen ut munus subdiaconi recentior videretur esse, ambo vero conferrentur sine ulla manuum impositione et sic sedulo discernenterentur ab ordinibus episcopi, presbyteri et diaconi.

2. *Necessitas recentem Ecclesiae disciplinam retractandi.*

Disciplina de ordinibus minoribus in C.I.C. quattuor constat principiis:

1. Infra diaconatum adsunt quinque ordines, nempe subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus;

2. tantum clerici obtinere possunt praefatos ordines, acceptis scilicet omnibus et singulis obligationibus clericorum quae prima tonsura significantur;

¹⁵ S. EPIPHANES, *Constit. Apost.*, Lib. II, III et IV, non tamen lib. VIII; cf. etiam documenta e *Const. Apost.* dependentia, ut PSEUDO-IGNATIUS, *Ad Antiochenses XII*; *Pseudo-Concil. Laodicen.*, can. 24.

¹⁶ S. EPIPHANES, *Expositio fidei*, XXI: PG 42, 825; PSEUDO-IGNATIUS, *Ad Antiochenses XII*; *Codex Theodos.* XV, 16, 2.

¹⁷ Cf. *Passio Procopii*; S. EPIPHANES, *loc. cit.*

¹⁸ *Council Antioch.*, can. 10.

¹⁹ Cf. J. M. HANSSENS, *Les oraisons sacramentelles des ordinations orientales*, in: *Orientalia Christiana periodica* 18, 1952, pp. 297-318; A. RAES, *Les ordinations*

3. praefati ordines iis tantum conferri possunt, qui ad presbyteratum destinati sint;

4. ita districte prohibentur ordinationes per saltum, ut qui malitiose unum gradum acceperit, omissis praecedentibus, suspensus habeatur et ei qui bona fide, ordines suppleri oporteat.²⁰

Iam tempore Concilii Tridentini passim sentiebatur totam hanc disciplinam retractatione indigere utpote quae statui et necessitatibus Ecclesiae illius temporis in pluribus non responderet.

Nam inter alia: respectiva ministeria ordinum minorum a non ordinatis exercebantur et ordinati ea passim non exercebant. Unde ansa praebeatur opinioni protestantium qui ordines illos otiosos traducebant.

Concilium Tridentinum, inter alia, statuit: « ut in posterum huiusmodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos praelatos ecclesiarum in Domino hortatur ut ... huiusmodi functiones curent restituendas ... Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami, ad munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ».²¹

Praeceptum tamen istud Tridentini revera observatum non fuisse constat, ex diversis causis quarum forsitan praecipua est, quod Concilium, tempore deficiente, non potuit profundius rem perpendere nec votis obsecundare quorundam Patrum et theologorum qui novam rationem ordinum minorum desiderabant, immo, ut Petrus Soto, suppressos cogitabant ostiariatum et exorcistatum utpote tunc inutiles factos.²²

Hodiernis vero temporibus pluribus de causis, reformatio pressius urgebatur quia maiores factae sunt incongruentiae quae exsistebant inter ius et praxim Ecclesiae ex una parte et necessitates pastorales et liturgicas vitae Ecclesiae in hodiernis adiunctis ex altera parte.

dans le Pontifical chaldéen, in: *Orient syrien* 5, 1960, pp. 63-80; E. LAMNE, *Les ordinations dans le rite copte: ibid.*, pp. 81-106.

²⁰ Cf. CIC, cann. 108, 118, 949, 973, 974, 977, 1004, 2374.

²¹ Sess. XXIII, *De reformatione*, c. 17.

²² Cf. A. DUVAL, *L'Orde au Concile de Trente*, in: *Etudes sur le Sacrement de l'Ordre*, Paris 1957, pp. 308-314; vide etiam praecipue schema Patribus Tridentinis distributum die 7 iulii 1563, in quo enumerantur ordines minores et describuntur eorum munera quo melius necessitatibus temporum accommodentur: *Concilium Tridentinum*, ed. Goerresiana, IX, 598-601.

Codex iuris canonici, ius antiquum de ordinibus infra diaconatum, in genere non mitius sed gravius fecit, imprimis in quantum iussit ne hi ordines conferantur iis qui propositum non habeant ascendendi ad presbyteratum aut ad presbyteratum idonei non censeantur, nec non in quantum prohibuit ordinationes per saltum. Sed nonobstante hac prohibitione ab ipsa lege permittebatur ut idem clericus simul reciperet binos ordines minores, et indultis vel privilegiis saepe concedebatur ut etiam quattuor simul confererentur. Plerique ergo clerici ordines a se receptos exercere non valebant. Ministerium exorcizandi practice prohibetur simplicibus exorcistis. Munera quae aliis ordinibus minoribus assignabantur a laicis continuo et ubique exercentur, qui ordines non receperunt.

Ideo inter vota ad Concilium Vaticanum II, tempore praeparationis transmissa, plura spectabant recognitionem ordinum minorum.²³

Haec vota ita se habent:

1. Commune omnibus votis apparet iudicium quod actuale systema ordinum minorum omni fere valore destituitur tam quoad numerum et distinctionem quam quoad praxim exercitii ordinum: valorem enim habere non videntur nec quoad praeparationem ad sacerdotium nec quoad vitam Ecclesiae.

2. Pauca vota exoptant meliorem actuationem ordinum in quantum sunt gradus ascendendi ad sacerdotium, v. g. quoad opportunam exercitationem operum non solum liturgicorum sed etiam pastoralium.

3. Alii, considerando quod ordinatio ad ordines minores, uti hodie extat, satis inutilis est, magis tendunt ad eorum abolitionem vel saltem reductionem.

4. Alii vellent ut novi ordines minores creentur hodiernis necessitatibus, sive liturgicis, sive pastoralibus aut administrativis ecclesiae, vere respondentibus, v. g. catechistae, professoris religionis, fessoris, cantoris.

5. Desiderium generale est ut tales ordines possint dari etiam laicis coniugatis et modo stabili, i. e. quin tendant ad ordines superiores.

²³ Cf. Commissio Praeparatoria De disciplina sacramentorum, *Quaestio III, De Ordine* 2, pars altera, pp. 19-20.

6. Quaedam vota insistebant in instauratione ordinum minorum ad vitandum periculum ne peteretur instaurationis permanentis uxorum.

Concilium Vaticanum II quaestionem de ordinibus minoribus pressius definire non voluit, sed tantum generalem normam dedit: « Ritus Ordinationum, sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur ».²⁴ Post Concilium, sive ob instaurationem diaconatus permanentis etiam virorum coniugatorum, quae plures mutationes imposuit circa modum concipiendi subdiaconatum et ordines minores in Ecclesia latina, sive ob instaurationem liturgicam, qua paulatim inducitur principium ut in actionibus liturgicis unusquisque suo quoque munere fungatur,²⁵ necessitas instaurationis disciplinae circa ordines minores magis persentita est.

3. *Instaurationis facta est principio « veritatis » et distributionis munerum.*

Principium veritatis in re liturgica significat factum liturgicum (ritum, textum, personas et circumstantias) debere reapse respondere rebus ad quas intenditur. Instaurationis liturgica super hoc principio fundatur, quod passim etiam, plus minusve explicitis verbis, a Constitutione Concilii *Sacrosanctum Concilium* revocatur.²⁶

Principium distributionis munerum vult ut: « in celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet ».²⁷

Ordinationes minores infra diaconatum, sunt ritus qui ad hoc intendebantur ut per eos aliquis ab Ecclesia, deputeretur ad exercitium alicuius muneris cum omnibus iuribus et officiis, in classi ecclesiastica (seu « ordine ») eorum qui tali munere funguntur.

Ordo de quo hic agitur, est ergo ad ministerium ecclesiasticum determinatum. Si hoc ministerium iam non est necessarium aut utile in Ecclesia; aut si personae ad illud ordinatae de facto illud non exercent; aut si « classis » cui inserit, de facto non habetur, aut habetur quidem

²⁴ Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 76.

²⁵ Cf. *ibid.*, n. 28.

²⁶ Cf. v. gr. nn. 26-29, 33 ss., 49-50, 55, 59, 67-69, 72, 77, 87-89, 94.

²⁷ *ibid.*, n. 28.

sed iam nullius momenti reputatur, ordinatio et relativa impetratio gratiarum a Deo iam non respondent rei veritati; totum reducitur ad formam vacuum, cui nihil in vita reali Ecclesiae respondet.

4. *In Ecclesia latina amplius non habentur « ordines minores » sed « Ministeria ».*

Non omne exercitium alicuius ministerii ecclesiastici exigit ut quis ordinem relativum receperit, neque ex necessitate theologica neque ex necessitate pastoralis.

Quoad necessitas theologica, seu validitas actionis ministerii propriae alicui ordini minori, non necessario exigit receptionem huius ordinis, patet ex eo quod, sub hoc aspectu, omnia officia liturgica infra ordinem presbyteratus possunt de se expleri a quocumque fidei.

Quoad congruentiam vero vel utilitatem pastorem habendi minores ordines ad bonam structuram communitatis et eius maiorem fructum spirituales, res pendet a circumstantiis concretis.

Videtur antiquam Ecclesiam strictiorem hac in re fuisse; quod fortasse pendet a structura et a sensu valde hierarchicis antiquae societatis. Etiam Concilium Tridentinum inculcavit principium: « ut in posterum huiusmodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur » (cf. *supra*). Sed de facto intentum non obtinuit.

Hodie, nemo diceret omnes, pueros vel non, qui velint ministerio acolythi fungi, prius debere ordini minori acolythorum sociari. Talis norma aut privaret Ecclesiam ministerio puerorum et iuvenum in officio acolythatus, aut ipsum faceret rem levem, non seriam in Ecclesia: utrumque sub aspectu pastoralis damnandum.

Idem valet de lectore, de psalmista, de commentatore, secundum officia quae ex instauratione liturgiae in Ecclesia hodie reviviscunt.

Ut ergo aliquis ordo minor in Ecclesia determinato momento historico cum fructu agnoscatur et quibusdam concedatur, non sufficit ut adsit necessitas relativi ministerii, vel ut idem ministerium de facto a subiecto de quo agitur exerceatur, sed quaedam aliae condiciones insuper requiruntur.

Et ratio forte est quia ordo minor non solum est deputatio ad exercitium alicuius muneris ecclesiastici, sed insuper constituit aliquam *classem* hierarchicam seu *ordinem* hominum habentium in structura sociali Ecclesiae peculiarem auctoritatem cum suis iuribus et officiis in compagine totius corporis. Et ordinatio relativa est simul admissio in

eadem classe. Quare opportunius visum est in hodiernis adiunctis huiusmodi classes minores liturgicas non habere in corpore Ecclesiae sed praevidentur ritus iustitutionis, quo quis ab Ecclesia ex officio deputatur ad exercitium alicuius ministerii liturgici et pro eo gratiae a Deo impetrantur. Haec ministeria pro tota Ecclesia latina sunt duo: lectoratus et acolythatus. Conferentiae Episcopales, ob peculiarias necessitates, alia constituere pro sua regione valent, v. gr. catechista, minister extraordinarius sacrae Communionis, etc. Patet ergo, ea non reservari iis tantum qui ad diaconatum aut ad presbyteratum accedere intendunt. Nam ministeria sunt quaedam institutio ad serviendum Deo et Ecclesiae in determinato quodam munere et non solum gradus probatorii ad ordines maiores, ut erant ordines minores.

5. *Ostiariatus, exorcistatus et subdiaconatus supprimuntur.*

a) Munera ad quae exercenda dabatur ordo *ostiariatus* erant: aperire et claudere portas ecclesiae et sacrarii, vigilare circa eos qui ingrediuntur, et impedire ingressum indignis aut quibus non licet interesse celebrationibus. Secundum Pontificale hodiernum etiam: pulsare campanas et librum aperire ei qui praedicat.

Haec officia (excepto aperire librum ei qui praedicat) fuerunt quidem et sunt semper necessaria et hodie exercentur. Sed etiam Romae sub fine saeculi IV ostiarii uti inservientes extra cursum honorum reputabantur et iste « ordo » saeculo VII ita evanuerat ut etiam ritus eius ordinationis in libris non haberetur.

In ecclesiis orientalibus (exceptis iis quae disciplinam latinam receperunt) ostiariatus ut ordo aut numquam fuit aut modo valde praecario.

Romae solum inde saeculo X artificiose iterum suscitatus est ex introductione librorum liturgicorum franco-germanicorum (cf. *supra*).

Hodie praedicta officia ostiarii adimplent praecipue de facto sacristani. Clerici vero qui eum recipiebant non adimplebant.

b) *Exorcista*, ex iure canonico nunc vigente, nullum munus exercere poterat.²⁸

Notandum insuper est ordinem presbyteratus, immo etiam diaconatus, secum ferre potestatem exorcizandi, ut clare videtur ex praxi

²⁸ Can. 1151, 2, 1153.

Ecclesiarum orientalium; etiam in Ecclesia latina diaconus potestatem habet sollemnes exorcismos exercendi.²⁹

In antiquitate quidem, fuerunt alicubi exorcistae, scilicet in Palestina et Syria.³⁰ Etsi exorcistae vere clerici considerantur a Concilio Antiocheno an. 341, can. 10³¹ et aliis documentis, in Constitutionibus vero Apostolicis munere tantum charismatico, non hierarchico fungi censentur, et postea non iam inveniuntur.

In Occidente exorcistae de clero fuerunt iam III saeculo Romae (epist. S. Cornelii teste), Carthaginis (teste S. Cypriano); ineunte saeculo IV plures exorcistae ex Gallia et Hispania Acta suscripserunt Concilii Arelatensis.³²

Romae, exorcistae munus suum exercere potuerunt in solos catechumenos, ideoque suppressi sunt cum, saeculo VI, catechumeni adulti defuerunt; in libris liturgicis non iam reperitur ritus ordinationis, in rituali baptismali exorcismi ab acolythis pronuntiabantur.

Ordo exorcistarum instauratus est Romae cum demum introducti sunt libri liturgici germanici sub fine saeculi X, ut supra dictum est; ergo ex quodam archaeologismo, non ex necessitate Ecclesiae.

c) *Subdiaconatus* iam exstitit in Ecclesia latina saeculo III et in Ecclesiis Orientalibus adhuc habetur. At eius munus in dies paulatim ita evolutum erat, ut miscuisset ea quae ad diaconos pertinebant et ea quae ad lectorem spectabant. Ex sese subdiaconus erat tantum primus ex acolythis, ideoque eius munus proprium erat nonnisi deferre crucem in processione et aquam praebere.

Plures diaconi praevidebantur in *Ordinibus Romanis*, qui celebrantem comitarentur eique ministrarent; in ordinibus e regione germanica oriundis, reducuntur ad duos diaconos.

Saeculo IX in sacramentariis gelasianis et collectionibus canonicis, deinde in Pontificali Romano Germanico, subdiaconatus visus est ordo « maior » seu « sacer » et tunc paulatim in Missa factus est symmetricus diaconi: ei reservata est lectio Epistolae, quae a lectore olim fiebat; induit vestes quae, de facto, omnino similes videbantur vestibus

²⁹ Cf. *Ordo baptismi parvulorum*, 1969, *Praenotanda generalia*, n. 14, p. 10. *Ordo initiationis christianae adultorum*, 1972, n. 156, p. 54.

³⁰ Cf. EUSEBIUS, *Hist. eccl.* VII, 6, 9.

³¹ H. T. BRUNS, t. 1, p. 83.

³² CC 148, pp. 15-22.

diaconalibus (nam stola diaconi, sub dalmatica, quasi abscondita est). Ultimus gradus transactus est quando subdiaconus substituit alterum diaconum qui comitabatur celebrantem.

Fideles non intellegunt hunc hominem etsi vestitum sicut diaconum, reapse non esse diaconum. Ob principium veritatis et ut ritus « perspicui sint »³³ subdiaconatus suppressus est.

6. *Lectoratus et Acolythatus servantur.*

a) Ordo *lectoris* primus in historia apparet inter alios ordines minores.³⁴ Deinde in omnibus Ecclesiis invenitur, et semper servatus est.

Hodie momentum officii lectoris in instauratione liturgica iterum eminet.

De facto passim adimpletur a iuvenibus sat maturae aetatis et a viris adultis apud quos, inter alias dotes, non raro inveniri poterit etiam sufficiens stabilitas in munere exercendo.

In antiqua Ecclesia lectoratus de facto fuit non raro primus gradus in via ad sacerdotium; unde non raro etiam pueris et iuvenibus dabatur.

In institutione lectoris in luce ponitur munus eius proprium, quod est lectio Sacrae Scripturae in Ecclesia. Ei coniungitur etiam munus connaturale, scilicet instruendi fideles et catechumenos in fide et participationem fidelium in actionibus liturgicis dirigendi.

b) Ordo *acolythorum* est antiquissimus in Ecclesia Romana. Anno 251 (ep. Papae Cornelii ad Fabium Antioch.) Romae acolythi erant 42.

Postea in Urbe semper manserunt.

In Oriente numquam fuerunt ut ordo, excepta Ecclesia armena, quae hoc recepit a latinis. Neque in aliis ecclesiis occidentalibus fuerunt acolythi, excepta Ecclesia Cartaginensi tempore S. Cypriani.

Officia liturgica acolythorum Romae maxima apparent saeculo vi eo praesertim quod aliquibus in adiunctis potuerunt portare Corpus Domini: ita in Missa Papali sustinebant sacculos in quibus Episcopi et presbyteri fractionem faciebant, et portabant fermentum ad presbyteros titulares.

Officium acolythi etiam hodie maxime necessarium est in Ecclesia. Eius est ad altare servire, diacono vel presbytero adiutorio praebere,

³³ Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 34.

³⁴ TERTULLIANUS, *De praescriptione*, 41.

necnon sacram communionem fidelibus, etiam infirmis, ut minister extraordinarius, distribuere.

Propterea ei traditur vasculum cum pane vel vino pro celebratione Eucharistiae. Iam initio saeculi VI acolythi *vasa sacramentorum* accipiebant ad eorum munus explendum: « Acolythi vero sacramentorum portanda vasa suscipiunt et ministrandi sacerdotibus ordinem gerunt ».³⁵

III. DE IIS QUI AD ORDINES SACROS ASPIRANT

Ministeria lectoris et acolythi per se non sunt gradus necessarii ad sacerdotium. Munera inferiora diaconatus orta sunt ex divisione munerum in ipso diaconatu contentorum. Ed ideo per se necesse non esset recipere haec inferiora munera antequam recipiatur diaconatus.

Attamen, praestat conservari aliquem motum « per gradus » pro iis qui ad diaconatum vel ad presbyteratum aspirant, non solum ob rationes historicas et liturgicas, sed etiam psychologicas, paedagogicas et practicas.

Nam alumni seminariorum maiorum ita instituendi sunt ut « ad exemplar Domini Nostri Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, veri animarum pastores ipsi formentur ». Hoc obtinetur praesertim praeparatione ad *ministerium verbi et altaris* ut « verbum Dei revelatum semper melius intellegant, meditantes possideant, lingua et moribus exprimant; ... ut orantes et sacras liturgicas celebrationes peragentes opus salutis per sacrificium eucharisticum et sacramenta exercent ».³⁶

Proinde:

a) ipsi institutionem lectoris et acolythi recipere *debent* et per aliquod temporis spatium exercere. Ideo una simul institutionem lectoris et acolythi celebrare non licet. Interstitia autem inter collationem, per curriculum theologicum habendam, ministeriorum lectoratus et acolythatus, necnon inter collationem acolythatus et diaconatus pressius definienda sunt a Conferentiis Episcopalibus.³⁷

Maximi momenti est munus tradendi et docendi doctrinam, quod saepe ab his qui dicuntur « catechistae » fit. Seminaristae, vero, aptissimi sunt ad fungendum tali munere post aliquod tempus studiis ecclesiasticis impensum: immo talis exercitatio non parvum emolumentum

³⁵ Cf. WILMART, *Analecta Reginensia*, p. 176.

³⁶ Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 4.

³⁷ Cf. PAULUS VI, Litt. Apost. *Ad pascendum*, n. IV.

adducit ipsis seminaristis instituendis ad populi Dei servitium et ut ipsi « Christum quaerere edoceantur in verbi Dei fidei meditatione ».³⁸

Officio acolythi et in liturgia et in servitio Ecclesiae fungentes, seminaristae melius sese praeparant ad ipsum diaconatum, deinde presbyteratum, suscipiendum.

b) Ingressus in clerum nunc conectitur cum receptione diaconatus, quia solum tunc distinctio laici a non laicis est iuris divini.

Abolitur ergo ritus *De clerico faciendo* per receptionem tonsurae.

Attamen, alumni seminariorum, post sufficientem probationem, indigent aliquo ritu liturgico, qui sit pro ipsis id quod est pro religiosis ritus ingressus in Novitiatum.

Habetur ergo *Ritus admissionis inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum*, quo non datur deputatio ad aliquod munus liturgicum sed potius quis constituitur in aliquo statu vitae. Et ideo respondet ritibus, quibus liturgia consuevit consecrare ingressum in aliquem statum vitae, uti sunt: consecratio virginum, benedictio monachorum, professio religiosa, ingressus in novitiatum. Ergo ritus extollit significationem « vocationis », electionem ex parte Episcopi, desiderium aspirantis se Dei hominumque servitio mancipandi et propositum quod sibi assumit praeparationem suam perficiendi ut aptus fiat ad ministerium, per sacramentum ordinis, suo tempore suscipiendum.

Patet, ex iis quae in *Norma transitoria* dicuntur, eos qui primam tonsuram iam acceperunt, hoc ritu non teneri.

Nihil dicitur expresse de veste liturgica. In parte Ritualis Romani, quae de Benedictionibus aget, ritus ad vestem liturgicam benedicendam parabitur. At, iuxta ea quae in variis libris liturgicis habentur, qui institutionem lectorum et acolythorum accipiunt, vestem liturgicam induere debent omnibus ministris propriam, scilicet albam vel superpelliceum,³⁹ aut vestem liturgicam in sua regione usitatam.

c) Professio castitatis cum diaconatu colligatur. Motu proprio *Ad pascendum* prescribit: « publica ipsius sacri caelibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebranda est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem praecedat ».

³⁸ Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 8.

³⁹ Cf. *Institutio generalis Missalis romani*, nn. 298 et 81.

Ergo, post homiliam ab Episcopo habenda in Missa ordinationis diaconorum, inseritur peculiaris ritus pro iis qui sacrum caelibatum amplectendi sunt. Post brevem allocutionem, Episcopus eos interrogat: « Vultis, coram Domino et Ecclesiam, in signum animi vestri Christo Domino dediti, caelibatum propter regnum caelorum in Dei hominumque servitio perpetuo custodire? ». Cui candidati respondent: « Volo ».

Conferentia Episcopalis statuere potest ut propositum candidatorum manifestetur etiam aliqua forma externa ab ipsa Conferentia statuta. Inter diversas formas potest servari ritus, quo per saecula innumerabiles iuvenes sese Christo dedicaverunt, scilicet *gressus symbolicus* qui fiebat in ordinatione subdiaconorum.

Deinde ordinatio Diaconorum continuatur iuxta ritum Pontificalis Romani anni 1967. Attamen, post tertiam inseritur nova interrogatio circa obligationem celebrandi *Liturgiam Horarum* et spiritum orationis custodiendi et augendi. Nam ordinatus, peculiari ratione Christo sacerdoti configuratus, « intima totius vitae consortione Ei adhaerere debet »⁴⁰ et vires suas pro ovibus sibi commissis immo pro toto mundo impendere, pro eius et eorum nomine orando, exemplo boni Pastoris, qui « semper vivit ad interpellandum pro nobis ». Mandatum Liturgiam Horarum celebrandi diversum est pro diaconis qui ad presbyteratum contendere cupiunt et pro diaconis stabilibus.⁴¹ Hac de causa in interrogatione dicitur: « iuxta condicionem vestram ».

Documentis *Ministeria quaedam* et *Ad pascendum*, cooperantibus variis Sacris Congregationibus, peritis, Conferentiis Episcopalibus, peracta est instauratio quae, a Constitutione liturgica Concilii Vaticani II praescripta (n. 76), difficillima et intricata videbatur. Abolitio disciplinae liturgicae et canonicae quandoque antiquissimae suffecta est a novarum formarum liturgicarum creatione, quae hodiernis necessitatibus Ecclesiae necnon doctrinae Concilii de sacris ordinibus magis respondeant.

(GP)

⁴⁰ Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 8.

⁴¹ Cf. *Institutio generalis de Liturgia Horarum*, nn. 29-30.

VARIATIONES IN INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI INDUCENDAE

Suppressio Ordine subdiaconatus, supprimenda sunt omnia quae de eo habentur in Institutione generali Missalis Romani. Ideo Sacra Congregatio pro Cultu Divino «Variationes in Institutionem generalem Missalis Romani inducendae» apparavit.

Textus, qui hic refertur, paulisper differt in quibusdam a textu iam evulgato. Quaedam additiones factae sunt ad totam materiam plenius amplectendam. Clarius, praesertim, describitur munus acolythi quoad vasa sacra purificanda (cf. nn. 204 et 238).

Quidam quaerunt an in Missa sollemni adhuc possit haberi minister qui officio subdiaconi fungatur. Institutio generalis Missalis romani, ob principium «veritatis» pluries repetitum, insistit ut in actione liturgica unusquisque participet iuxta Ordinem receptum. Nam ex ipsa celebrationis ordinatione apparere debet Ecclesia in diversis Ordinibus et muneribus distributa, absonum est ut sacerdos vel diaconus officium subdiaconi fungatur. Ergo, vel adhibentur plures diaconi, sicut habentur lectores, acolythi, etc., vel plures presbyteri concelebrantes, vel alter sacerdos qui celebranti assistat, alba et stola, more presbyterali, indutus.

Cum, die 1 ianuarii 1973, nova disciplina circa primam tonsuram, ordines minores et subdiaconatum, per Litteras Apostolicas *Ministeria quaedam* die 15 augusti 1972 statuta, vigere incipiat, subdiaconatus ordo in Ecclesia Latina non amplius habebitur. Officia subdiaconi a lectore vel acolytho, etsi non rite institutis, peragentur.

Cum autem in celebratione Missae omnes ministri solum et totum id agere debeant quod ad eos pertinet iuxta ordinem receptum,¹ ministri sacri Missam participant aut concelebrando, si sunt presbyteri,

* Litteris *italicis* indicantur verba seu partes in textum Institutionis inducta. Uncis quadris [...] significantur verba seu phrases, quae e textu Institutionis posthac omittenda sunt. Notae in calce ad textum Institutionis servantur, nisi aliter notetur.

¹ Cf. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 58.

aut, si sunt diaconi, ministerium suum exercendo. Proinde officium subdiaconi omnino supprimitur; diaconi vero, si plures adsunt, varias partes eiusdem ministerii inter se distribuere et peragere possunt;² minime vero decet presbyterum officio diaconi fungi, vestibus huius ordinis indutum. Demum in memoriam hoc revocandum est: «formam nobiliorem actio liturgica accipit cum in cantu peragitur, ministris cuiusque gradus ministerio suo fungentibus et populo eam participando».³

Ea, ergo, quae in Institutione generali Missalis Romani de subdiacono agunt, ex eiusdem Institutionis textu auferenda sunt, qui in nonnullis partibus complendus vel mutandus est, ut novae disciplinae de ministeriis respondeat.

Quapropter, Sacra Congregatio pro Cultu Divino variationes, quae sequuntur, in editionem typicam Missalis Romani, anno 1970 publici iuris factam, inducendas statuit:

I. IN INSTITUTIONE GENERALI:

- n. 34. In lectionibus mensa verbi Dei paratur fidelibus et thesauri biblici iis aperiuntur. Cum ex traditione officium legendi lectiones non sit munus praesidentiale sed ministeriale, convenit ut, de more, diaconus vel, eo deficiente, alter presbyter legat Evangelium; [...] lector *vero* alias lectiones. Deficiente tamen diacono vel alio presbytero, Evangelium a celebrante legatur.
- n. 65. *Acolythus ad servitium altaris et in adiutorium sacerdotis et diaconi instituitur. Ipsius praecipue est altare atque vasa sacra parare et Eucharistiam, cuius est minister extraordinarius, fidelibus distribuere.*
(Totus textus Institutionis omittitur).
- n. 66. *Lector ad proferendas lectiones sacrae Scripturae, Evangelio excepto, instituitur. Potest etiam intentiones orationis universalis proponere et, deficiente psalmista, psalmum inter lectiones proferre.*

² Cf. *ibid.*, n. 71.

³ Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de Musica in sacra liturgia, *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 5: AAS 59, 1967, p. 301.

Lector [...] proprium munus in celebratione eucharistica habet, quod ipse per se exercere debet, quamvis adsint ministri ordinis superioris.

[...]

Ut fideles ex auditione lectionum divinarum suavem ac vivum sacrae Scripturae affectum in corde concipiant, necesse est ut lectores tale *ministerium exercentes, etsi institutionem non receperunt*, revera apti sint et sedulo praeparati.

Conferentia Episcopalis permittere potest ut [...] mulier idonea [...] lectiones quae praecedunt Evangelium *et intentiones orationis universalis proferat et pressius determinare locum congruum, e quo verbum Dei in coetu liturgico annuntiet (51 bis)*.

n. 70. Omnia ministeria infra ea quae propria sunt *diaconi* [...] a viris laicis *etsi institutionem non receperunt*, exerceri possunt. Ministeria quae extra presbyterium peraguntur etiam mulieribus committi possunt, iuxta prudens iudicium rectoris ecclesiae, attentis iis quae n. 66 dicuntur circa locum e quo lectiones sacrae Scripturae proferendae sunt.

n. 81. In sacrario, pro diversis formis celebrationis, parentur sacrae vestes sacerdotis et ministrorum:

a) Pro sacerdote: alba, stola et planeta.

b) Pro diacono: alba, stola et dalmatica, quae tamen, ob necessitatem vel minorem gradum sollemnitatis, omitti potest.

[...]

c) Pro ceteris ministris: albae vel superpelliceae.

Omnes qui albam induunt, cingulum adhibeant et amictu utantur, nisi aliter provideatur.

nn. 142-152. (Deleantur. Attamen numeri sequentes in margine scripti non mutantur; itaque post n. 141 ponitur n. 153, ut servetur prior numeratio).

⁵¹ bis. Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. tertia ad Constitutionem de sacra liturgia recte exsequendam, *Liturgicae instaurationes*, 5 sept. 1970, n. 7: AAS 62, 1970, pp. 700-701.

- n. 167. Ritibus offertorii peractis, concelebrantes ad altare accedunt et circa altare consistunt, ita tamen ut impedimento non sint in ritibus peragendis, et sacer ritus a fidelibus bene conspiciatur, neque impedimento sint diacono [...] quando ad altare, ratione sui ministerii, accedere *debet*.
- n. 199. Deinde celebrans principalis, ad altare conversus, secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam aetérnam, et Corpus Christi reverenter sumit. Similiter faciunt concelebrantes. Post eos vero diaconus [...] a celebrante principali Corpus Domini *accipit*.
- n. 203. Si Communio ad calicem fit cum cochleari, eodem modo ac in Communionem cum calamo agitur; caveatur tamen ut, post Communionem, cochlear deponatur in aliquo vase cum aqua, quod, Communionem expleta, *acolythus* ad appositam mensam transfert, ut cochlearia purificet et abstergeat.
- n. 204. Ultimus *accedit* diaconus. [...] Postquam Christi Sanguinem sibi hausit, totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ab abacum transfert, ibique *ipse vel acolythus* purificat [...] *atque abstergit, et de more componit*.
- n. 206. Si Communio concelebrantium ... Missae.
Per intinctionem Communionem *accipit* etiam diaconus [...] qui Amen *respondet* concelebranti sibi dicenti: Corpus et Sanguis Christi. Diaconus autem ad altare totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique purificat [...] *atque absterget et de more componit*.
- n. 238. Vasa sacra purificantur a sacerdote vel a diacono *vel ab acolytho* post Communionem vel post Missam, quantum fieri potest ad abacum. Purificatio ... detergeatur.
- n. 242, 7) Diacono [...] et ministris, officium suum in Missa cum cantu implentibus.
- nn. 244, 246, 249, 251. (In prima linea, post verbum « assistens » adiungitur: *vel acolythus*).
- nn. 245, 247, 250, 252. (In prima linea, post verbum « assistens » adiungitur: *neque acolythus*).
- n. 301. (Deleatur, numeratio tamen sequens intacta manet).

II. IN TEXTU MISSALIS ROMANI:

1) In rubricis, quando dicitur: « Sacerdos et ministri sacri », v. gr. pp. 250, n. 4; 224, n. 3; 257, n. 15; 266, n. 6, patet agi solummodo de sacerdote et diacono.

Quandoque, tamen verbo « minister » significantur etiam lectores, acolythi, turiferarius aliique officium liturgicum infra ea quae sunt diaconi implentes, v. gr. pp. 229, n. 9; 233, nn. 13 et 14; 249, n. 18; 250, n. 5; 267, n. 7; 280, n. 37. Quod e contextu deprehenditur.

2) Quando sermo est de lectionibus, vox « Subdiaconus » omittatur vel, si casus fert, eius loco vox *Lector* ponatur, v. gr. p. 280, n. 33: « Deinde *lector* profert lectionem de Apostolo ».

3) Aliae variationes in textu Missalis:

p. 234, n. 22: Historia Passionis Domini ... Legi potest etiam a lectoribus [...] parte Christi, si fieri potest, sacerdoti reservata. Diaconi ... Evangelium.

p. 243: Iuxta antiquissimum ... Horis vespertinis, tempore magis opportuno, celebratur Missa in Cena Domini, cum plena participatione totius communitatis localis, omnibus sacerdotibus *et ministris officium* suum implentibus;

Huiusmodi variationes a Sacra Congregatione pro Cultu Divino confectas, Summus Pontifex PAULUS VI, die 22 mensis decembris 1972 approbavit, mandans ut publici iuris fiant et in novas editiones Missalis Romani inducantur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 23 decembris 1972.

ARTURUS Card. TABERA
Praefectus

✠ A. Bugnini
*Archiep. tit. Diocletianen.
a Secretis*

DE TEXTIBUS BIBLICIS
IN EDITIONE LATINA MISSALIS ROMANI
ET LITURGIAE HORARUM

A multis lectoribus petatum est quamnam interpretationem latinam Sacrae Scripturae adhibitam fuisse voluminibus editione typica apparatis Missalis, Lectionarii et Liturgiae Horarum. Re quidem vera usus diversarum interpretationum invenitur: versio « vulgata » pro lectionibus Missae et Officii necnon pro antiphonis Missalis; versio « nova vulgata » pro psalmis Lectionarii et Officii. Insuper in novissimis libris liturgicis, editione typica impressi, inde ab Ordine Confirmationis (1971) usus versionis « novae vulgatae » pro lectionibus sive in textum ritus insertis sive in « incipit » memoratis in *Textus diversi adhibendi*.

Huiusmodi varietas forsitan ab aliquo leviter rem tractante inconsequens videretur.

De facto, agitur de principio per gradus ad effectum deducto, videlicet de versione « nova vulgata » pro libris liturgicis adhibenda. Cum autem Pontificia Commissio pro Nova Vulgata Bibliorum editione et Sacra Congregatio pro Cultu Divino eodem tempore laboribus suis operam dent, consequitur quod introductio novae versionis latinae in editiones liturgicas fiat paulatim, iuxta rythmum proprium unicuique labori, qui per tempora protrahitur, attentis ex una parte moris praeparationis et impressionis ex altera vero unitate essentiali uniuscuiusque operis (et ita tria volumina Lectionarii Missae, sicut et quattuor volumina Liturgiae Horarum, unum efformant).

Ad difficultates istius processus in tempora distributi melius perpendendis, sufficit inter se comparare dies, in quibus recentiora volumina biblica et liturgica edita sunt:

1969: *Liber Psalmorum*.

1970: *Missale Romanum, Lectionarium I, Epistolae S. Pauli Apostoli et Catholicae, Evangelia IV*.

1971: *Lectionarium II, Liturgia Horarum I, II, III, Actus Apostolorum et Apocalypsis Ioannis*.

1972: *Lectionarium III, Liturgia Horarum IV, Ordo initiationis christianae adultorum, De institutione Lectorum et Acolythorum*.

De admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum. De sacro caelibatu amplectendo.

Textus psalmodum depromptus est e « nova vulgata ». Hoc clare dicitur in unoquoque volumine Lectionarii (I, p. 25; II, p. 7; III, p. 22) et pro Liturgia Horarum in Constitutione Apostolica Summi Pontificis Pauli VI, *Laudis canticum*, diei 1 novembris 1970, n. 4: « Psalterium ... distribuitur, nova recepta interpretatione latina, quam Commissio pro Nova vulgata Bibliorum editione a Nobis condita apparavit ».

Ergo in libris liturgicis lingua latina confectis, textus biblici iuxta editionem « novae vulgatae » referuntur. Attamen quaedam variationes inveniuntur inter textum editum a Pontificia Commissione pro Nova Vulgata Bibliorum editione et textum qui in psalterio liturgico habetur. Re quidem vera de paucissimis variationibus agitur et propositae sunt a Sacra Congregatione pro Cultu Divino supradictae Pontificiae Commissionis et ab ipsa acceptae (Prot. n. 334/70B; n. 366/71B), ut quaedam formulae traditae in liturgia et communes apud Patres servarentur. En variationes de quibus agitur (NV = Nova Vulgata; LH = Liturgia Horarum):

- Ps. 96, 7 NV: Adorate eum, omnes dii.
 LH: Adorent eum omnes angeli eius (I, 674).
 Ps. 100, 5 et 8 NV: hunc interficiebam ... interficiam omnes.
 LH: hunc cessare faciebam ... cessare faciam omnes (I, 837).
 Ps. 117, 16 NV: Dexteram Domini exaltata est.
 LH: Dexteram Domini exaltavit me (I, 554).

Aliae differentiae notari possunt, at minoris momenti, v. gr. diversa distributio stropharum quandoque facta est (cf. ps. 118) ad faciliorem reddendam celebrationem aut textus intellegendiam, vel menda in impressione typis facta, ablata sunt, consensu habito supradictae Pontificiae Commissionis, v. gr.:

- Ps. 118, 151 b: et omnia praecepta *tua* veritas (I, 852).
 167 a: custodivit anima mea testimonia tua (I, 877).
 Ps. 144, 12 a: ut notas faciant ... potentias tuas (I, 720).¹

¹ Haec emendatio fieri debet etiam in voluminibus Liturgiae Horarum, I, p. 880; II, p. 483 et 1205; III, p. 1019; IV, p. 967.

EMENDATIONES
IN PRIMAM REIMPRESSIONEM MISSALIS ROMANI
INDUCTÆ

Numeri in margine scripti indicant paginas Missalis Romani, editionis typicae anni 1970.

24	nota 13	can. 9											
	nota 18	n. 35, 3											
113	ult. lin.	Dominica ... <i>In Baptismate Domini</i>											
119	23 iulii	S. Birgittæ, religiosæ											
125	tabella	Hebdomada per annum <table> <tr> <th rowspan="2">ante Quadr. · · · · ·</th><th colspan="2">post temp. pasch.</th></tr> <tr> <th>a die</th><th>ab hebd.</th></tr> <tr> <td>1987</td><td>8</td><td></td></tr> <tr> <td>1992</td><td>8</td><td></td></tr> </table>	ante Quadr. · · · · ·	post temp. pasch.		a die	ab hebd.	1987	8		1992	8	
ante Quadr. · · · · ·	post temp. pasch.												
	a die	ab hebd.											
1987	8												
1992	8												
		(cf. Lectionarium I, 26; II, 8; LH I, 97; II-III-IV, 13)											
129	coll. lin. 4	cæléste.											
138	sup. obl. lin. 2	offérimus <i>colláta</i> beneficiis (cf. pp. 129, 134)											
142	coll. lin. 1	natúræ											
153	titulus	Ad Missam <i>in Vigilia</i>											
168	titulus	<i>In Baptismate Domini</i>											
169	titulus curr.	<i>idem</i>											
180	rubrica, lin. 2	lavat manus											
224	n. 5, monitio lin. 2	pæniténtia											
239	coll. lin. 1	qui <i>unigénitum</i> Fílium											
241	super oblata	Super oblata											
246	titulus	Super oblata											
264	n. 27	<i>Post communionem</i>											
		Orémus.											
280	n. 32, coll. lin. 3-6	<i>éxcita in Ecclésia tua adoptiõnis spiri- tum</i> ut, corpore et mente renováti, puram tibi <i>exhibeámus</i> servitútem.											
311	titulus	Ad Missam <i>in Vigilia</i>											

375	postcom. lin. 4	Unitátis
459	par. 3 lin. 1	Meménto étiam
470	par. 3 lin. 9	Meménto étiam
479	post n. 2	3. Postea sacerdos
481	n. 10 lin. 6	<i>Léctio</i> sancti Evangélii
483	n. 21 lin. 1	deletur « erectus, »
486	n. 34 rubrica 3	Sacerdos
495-506	conclusiones	<i>Benedicat vos omnipotens Deus,</i>
	20 bened. soll.	<i>Pater et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.</i>
511	n. 25 lin. 2	Fílii tui glorificatióne
515	7 ian. coll. lin. 2	delentur « et in captivos »
532	7 mart. coll. lin. 4	eárum
543-546	post omnes ant.	additur: , <i>allelúia.</i>
556	coll. lin. 6	<i>fidei firmitátem</i> consequámur
628	19 oct. coll. lin. 2	sanctorum <i>Ioánnis et Isaac eorúmque</i>
		sociórum
753	rubrica, lin. 2	permittuntur Missæ <i>ad diversa</i> , Missa
		pro ...
822	postcom. I lin. 2	et <i>a</i> peccáti vínculo
834	Missæ B intr. lin. 1	<i>Tu</i> es sacerdos
862	coll. II lin. 3	ut <i>fámulum</i> tuum N.
865	titulus curr.	... omnibus <i>defunctis</i>
877	n. 9 titulus	CONSUMPTO
892	n. 5 textus lin. 1	Deus omnípotens nos
898	penult. lin.	numquam
955	lin. 6-7	Raimundus ... 515
		Raphael ... 616

In omnibus celebrationibus B. Mariæ V., rubrica Præfationis sic completur: Præfatio de beata Maria Virgine I (*Et te in ..., addita mentione celebrationis diei*) vel II.

ALIÆ EMENDATIONES INDUCENDÆ

11	lin. 2	promulgatum
35-82	Cf. Variationes in Institutionem generalem Missalis Romani inducendæ (23 dec. 1972), ut supra pp. 34-38.	
235	concl. præfat.	<i>Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus, iucúnda celebratióne clamántes:</i>
256	loco « Quem cæli » (n. IX) lin. 5-7	ut ubique terrárum <i>populorum prospéritas, pacis securitas</i> et religiónis libértas, te largiénte, consístant. (cf. 800, n. 18)

279	n. 30 lin. 7	redīre <i>omnia</i> in íntegrum
308	coll. lin. 4	ita <i>eum</i> usque
315	coll. hebd. VI lin. 2	exséquimur
416	concl. præfat. loco « Quem cæli »	<i>Unde et nos cum omnibus Angelis te laudamus, iucúnda celebratióne cla- mantes:</i>
436	concl. præfat. loco « Quem cæli »	<i>Et ideo, choris angélicis sociáti, te lau- damus in gáudio confitētes:</i>
491	n. 12	deletur: « Quem cæli ... dicētes: » 12. Per quem ...
524	n. 10 lin. 2-3	antiphona <i>Ecce Dóminus</i> , vel alius
624	coll. I lin. 3	nuntiári
644	postcom. lin. 3	<i>quem eórum</i> donásti
687	postcom. lin. 3	supplíciter <i>te, Dómine</i> , deprecámur
789	n. 12, postcom. lin. 3	fidèles <i>tui</i>
835	postcom. lin. 2	præcépit <i>offérri</i>
841	concl. præfat. loco « Quem cæli »	<i>Et ideo, choris angélicis sociáti, te laudá- mus in gáudio confitētes:</i>
904	Orat. S. Thomæ, lin. 3-4	Dómini nostri Iesu Christi: <i>accédo tamquam infirmus ad médicum vitæ, immúndus ...</i>

Le deuxième Concile du Vatican n'a pas hésité à exprimer la vénération de l'Eglise envers la Parole de Dieu écrite en la rapprochant de celle qu'elle exprime envers le Corps même du Seigneur dans l'Eucharistie. Il affirme en effet, dans la Constitution sur la Divine Révélation: « L'Eglise a toujours témoigné son respect à l'égard des Ecritures, tout comme à l'égard du Corps du Seigneur lui-même, puisque, surtout dans la Sainte Liturgie, elle ne cesse, de la table de la Parole de Dieu, comme de celle du Corps du Christ, de prendre le pain de vie et de le présenter aux fidèles » (Dei Verbum, 21). De cela le Concile a tiré les conclusions en une phrase lapidaire: « Il faut que l'accès à la Sainte Ecriture soit largement ouvert aux chrétiens » (Ibid., 22).

(Ex allocutione Summi Pontificis Pauli VI habita die 22 ianuarii 1973, in audientia qua excepit Em.mum Card. I. Willebrands, Praesidem Secretariatus pro Unitate Christianorum, P. Refoulé, OP, Pastores Casalis et Fuéter, qui translationem Œcumenicam Bibliorum Sacrorum ei prae-buerunt).

TERTIA CONGREGATIO PLENARIA

Post menses octo a secunda Congregatione Plenaria celebrata, membra Sacrae Congregationis pro Cultu Divino Romae interfuerunt tertiae Sessioni Plenariae diebus 21-24 novembris 1972.

Aderant Em.mi Cardinales: Tabera, Confalonieri, Silva, Samoré, Cody, Wojtyła, Pellegrino, Gray, Baggio, Dearden, Marty, Felici, Bertoli; et Exc.mi Hurley, Kisberk, Boudon, Nagae, Isnard, Carter.

Ordo diei ferebat:

1. De institutione lectorum et acolythorum; De admissione inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum; De sacro caelibatu amplectendo.
2. Ordo reconciliandi paenitentes.
3. Directorium de Missis cum pueris.

Initio sermonis, Em.mus Card. Tabera, Praefectus, traditionem quasi continuam secutus, Patribus relationem habuit de laboribus, expectationibus, difficultatibus, necnon successibus liturgicae instaurationis iam peractae. Relatio Praefecti haec argumenta tractavit:

a) *De libris liturgicis instaurandis.* Instaurationis librorum liturgicorum ad finem pervenit quoad textus pro Missae celebratione, cum tertium volumen Lectionarii atque « Ordo cantus Missae » publici iuris facta sunt.

Ad celebrationem Liturgiae Horarum quod attinet, in cursu unius anni quattuor volumina novi Officii Divini in lucem prodierunt, quae generalem consensum adeptae sunt.

Mentione facta « de Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae », et « de Sanctissima Eucharistia seu de cultu eucharistico extra Missam » necnon « de Paenitentia » edendis, Cardinalis Praefectus ostendit progressus ad effectum adductos in Caeremoniali Episcoporum atque Martyrologio parandis, quorum prius perficiendum esset per durante anno 1973, dum posterius exigit praevidiam consultationem peritorum ex omni natione, qui a Commissionibus liturgicis designandi erunt.

b) Ad documenta liturgica post Concilium edita facilius consulenda, Sacra Congregatio pro Cultu Divino « Collectanea documenta-

rum » apparabit. Item dicatur de « Promptuario », in quo variae normae in libris liturgicis contentae accurate et per ordinem colligantur, ut Conferentiis Episcoporum et Commissionibus de sacra Liturgia auxilium praestetur.

c) In ultima parte suae relationis Cardinalis Praefectus locutus est de communicationibus cum Commissionibus et Conferentiis directe habitis sive apud aedes Sacrae Congregationis sive apud varias nationes. Mentione dignum iter mensibus augusto-septembri 1972 peractum, CELAM invitante, in Medellin et in regiones Equatorianam, Chiliensem, Peruvianam, Bolivianam, Panamensem, Guatimalensem, Carribeanam. Hoc iter, pastorali sollicitudine inceptum, notitiam attulit accuratorem de elementis positivis necnon de difficultatibus, quas liturgica instauratio in America Latina aggressa est.

1. *Ritus admissionis inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum, institutionis lectorum et acolythorum.*

Quoddam schema horum rituum iam in Congregatione Plenaria anni 1970 habita examini subiectum ac approbatum fuerat. Deinde anno 1971 ad Conferentias Episcoporum missum, ab eisdem favorabile iudicium una cum opportunis animadversionibus sortitum. Demum ritus universus doctrinae ac normis Litterarum Apostolicarum « Ministeria quaedam » et « Ad pascendum » (die 15 augusti 1972) accommodatus fuit. Ritus admissionis et institutionis definitive redactus Patribus subiectus est praesertim quoad exhortationes initio faciendas ab Episcopo vel Superiore generali, qui candidatos valent alloqui « his vel similibus verbis » seu invitationibus e textibus Concilii desumptis.

Ritus de sacro caelibatu amplectendo.

Ad normam Litterarum Apostolicarum « Ad pascendum », iuxta quam « publica ipsius sacri caelibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebranda est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem praecedat », novus ritus introductus est initio ordinationis diaconalis.

Patres consideraverunt duplicem formam ad assumptionem sacri caelibatus significandam. Prior forma, veluti responsio interrogationi factae ab Episcopo. Et hic ritus, e dispositione Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei, ab omnibus servari debet. Posterior forma, « gressum »

haberet, qui in ordinatione subdiaconi erat traditus. Visum est Patribus iudicio Conferentiarum Episcoporum relinquere modum, quo candidati propositum suum manifestare possint, sive per gressum sive aliter.

Tali modo praebetur ritus simplex sed simul vere aptus ad assumptionem sacri caelibatus significandam.

Ad mandatum Liturgiam Horarum celebrandi quod attinet, ipsum memoratur per interrogationem in ritu ordinationis diaconalis faciendam, ita ut necessitas orationis bene evincatur.

2. *Ordo reconciliandi paenitentes.*

Normis pastoralibus circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei promulgatis, die 16 iunii 1972, *Ordo Paenitentiae* a Sacra Congregatione pro Cultu Divino anno 1969 apparatus ex novo recognitus est, additis « Praenotandis », quae ritum sub aspectu theologico et pastorali considerant. Schema generale huius Ordinis nunc examini Sacrarum Congregationum, ad quas pertinet, subicitur.

3. *Directorium de Missis cum pueris.*

Directorium de Missis cum pueris paratum est ad optatis satisfaciendum, ex parte Episcoporum praesertim manantibus, qui frequenter petierunt a Congregatione ut ritus ac textus Ordinis Missae captui atque intellegentiae puerorum accommodarentur.

Directorium praebetur quasi supplementum « Institutionis generalis Missalis Romani », iuxta propositionem quandam a Card. Iacobo Lercaro primae Synodo Episcoporum exhibitam: « In ordinandis celebrationibus, v. g. pro pueris, ... agetur non de efformando aliquo ritu omnino speciali, sed potius de quibusdam elementis retinendis vel breviandis vel omittendis, de quibusdam textibus magis aptis seligendis ... ».

Iudicium Patrum exquisitum est circa haec puncta fundamentalia Directorii:

a) de elementis, quae in Missa cum pueris simplicia reddi vel omitti possint;

b) de aptationibus in Missa cum adultis faciendis, cum adsunt etiam pueri;

c) de mediis technicis nostrae aetatis, debita mensura in celebrationibus cum pueris forte adhibendis.

NOUVELLES DU RWANDA ET DU BURUNDI

Le Père Xavier Seumois, des Pères Blancs, Directeur du Centre de Pastorale liturgique et catéchétique pour le Rwanda et le Burundi, nous communique d'excellentes nouvelles sur les activités de ce Centre international et sur ses travaux réalisés au service du renouveau liturgique. En voici un bref résumé:

1. *Le Baptême des adultes et les étapes du catéchuménat.* Un nouveau programme de catéchèse a été élaboré pour les quatre années du catéchuménat, conformément aux indications pastorales contenues dans les Praenotanda du nouveau Rituel. Jalonné par les rites de transition prévus aux nn. 125-132, il a ses moments majeurs dans les grandes étapes successives du catéchuménat. On veille à ce que ces catéchèses, tout en suivant le processus du Rituel, s'intègrent étroitement dans la vie. En plus des « Livres de Catéchèse » contenant ces rites commentés, un « Guide pastoral » a été polycopié à l'usage des responsables du catéchuménat.

2. *Les célébrations catéchuménales.* Un volume spécial a été publié en vue des célébrations dominicales pour les catéchumènes, mettant ainsi en application les nn. 106 et suivants du nouvel Ordo.

3. *Le Rituel du catéchuménat disposé par étapes* est inclus dans les « Livres de Catéchèse » annuels, ainsi que dans un « Missel pour la Semaine Sainte », publié en langue kinyarwanda. Indépendamment de ces éditions, celle du nouveau Rituel est actuellement en chantier.

4. *Le Baptême des enfants.* A défaut d'un texte établi par la Commission de liturgie et de traduction, le nouveau Rituel a été présenté en kinyarwanda, dans un « Document de travail » destiné au presbyterium de chaque diocèse, celui-ci devant en dégager les orientations pastorales majeures. La synthèse de ces orientations fournies par les divers diocèses permettra de faire les adaptations des Praenotanda de ce Rituel, selon la Constitution sur la Liturgie.

5. *Le Rituel du Mariage.* La même méthode a été adoptée pour le sacrement de Mariage, et le « Document de travail » va être soumis à l'étude des presbyteria de chaque diocèse.

6. *Les Lectionnaires de la Messe.* Les lectionnaires dominicaux des années A, B et C sont polycopiés en traduction provisoire. En fait, de grandes difficultés proviennent du langage religieux que l'on doit créer, et l'on ne peut encore songer à une publication définitive.

7. *Les sessions liturgiques.* Il convient de souligner que toutes ces publications ont été soigneusement préparées et suivies par d'importantes sessions de pastorale liturgique: les unes organisées par le P. Seumois, en 1971, sur le catéchuménat des adultes et le baptême des enfants; les autres, en trois séries de quinze jours, données en 1972 par le P. Ligier S. J., sur la théologie et la pastorale sacramentaires, destinées au recyclage du clergé.

Unicuique suum ...

Die 7 iunii 1972 sacerdos Charles Lardic, dioecesis Cenomanensis (Le Mans), scripsit Sacrae Congregationi pro Cultu Divino sequentem epistolam:

« Mon Révérend Père,

Le 19 mai dernier, j'ai eu l'honneur de solliciter un renseignement, et éventuellement une autorisation, au sujet de la Messe de Saint Pie V.

Je me permets de renouveler, ce jour, mon instance.

Chaque année, la « Schola Saint-Grégoire » du Mans (Ecole technique et pratique de Chant Grégorien) organise une Session internationale pour ses élèves. Celle-ci s'achève par une messe radiodiffusée sur « France-Culture ». Elle sera célébrée le 23 juillet, et, bien entendu, le nouvel « Ordo Missae » sera utilisé.

Mais, pour la Session, qui se déroule au Grand Séminaire du Mans, pour les seuls élèves, la directrice Mademoiselle Bellin désirerait utiliser la Messe de Saint Pie V.

S'agissant d'un groupe spécifique et restreint, compte tenu des règles en vigueur, peut-elle envisager cette messe?

Si une autorisation est nécessaire, vu le cas précis, Son Excellence Monseigneur Alix peut-il l'accorder?

Avec ma gratitude, et celle des élèves de la Schola Saint-Grégoire pour l'intérêt que vous voudrez bien apporter à ma missive, je vous prie d'agréer, etc. ».

Sacra Congregatio die 16 iunii respondit: « quaestionem proponendam esse Ordinario Dioecetano, qui pro sua prudentia pastoralis iudicabit an opportunum sit concedere celebrationem *unius* sanctae Missae iuxta Missale romanum non instauratum, remoto quovis periculo dissentionis eturbationis in communitate fidelium ».

Quidam, neglegentes petitionem scribentis, deduxerunt Ordinarium loci concedere posse, de more, celebrationem Missae iuxta Missale non instauratum. Clarum est in petitione et in responsione agi de unica missa « pour un groupe spécifique et restreint », in quodam « cas précis ». Quaevis alia illatio est inepta et falsa.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

c/c post. 1/16722

LITURGIA HORARUM

Vol. I, pag. 1304; vol. II, pag. 1800; vol. III, pag. 1644; vol. IV, pag. 1624.

Pretium totius operis:

A) corio contexti cum sectione foliorum rubra L. 56.000 (\$ 98,80)

B) corio caprino optime contexti, cum sectione foliorum rubra-aurata

Lit. 68.000 (\$ 120).

Editio oeconomica, linteo contexti Lit. 24.000 (\$ 42).

Tegumentum e corio, ad unum volumen accommodatum, L. 3.000 (\$ 5,20).

AD COMPLETORIUM (EXCERPTUM EX EDITIONE TYPICA)

cm. 11×17, L. 600 (\$ 1,10)

PRECES EUCHARISTICAE PRO CONCELEBRATIONE

cm. 14,5×20,5, L. 1.000 (\$ 1,90)

MISSALE ROMANUM

Vol. in-8° (cm. 17×24), pp. 944, typis rubro-nigris, 14 tabulae coloribus ornatae, linteo contextum, L. 10.000 (\$ 18);

idem corio caprino contextum, cum sectione foliorum rubro-aurata, L. 15.000 (\$ 26,50).

LECTIONARIUM

I. De Tempore: Ab Adventu ad Pentecosten (p. 896).

II. Tempus per annum post Pentecosten (p. 968).

III. Pro Missis de Sanctis, ritualibus, ad diversa, votivis et defunctorum (p. 976).

Unumquodque volumen in-8° (cm. 17×24), typis rubro-nigris, linteo contextum, L. 9.000 (\$ 15,75); corio caprino contextum, L. 15.000 (\$ 26,25).

MISSALE PARVUM

E MISSALI ROMANO ET LECTIONARIO EXCERPTUM

AD USUM SACERDOTIS ITINERANTIS

Missae de Tempore; Ordo Missae; Missae pro celebratione Sanctorum; Missae et Orationes ad diversa; Missae Votivae; Appendix.

Reimpressio 1971, in-8° (cm. 17×24), pp. 176, typis nigri et rubri coloris, 2 tabulae coloribus ornatae, L. 3.500 (\$ 6).

ORDO CANTUS MISSAE (EDITIO TYPICA)

Volumen in-8°, pp. 248, L. 4.000 (\$ 7,20).

Volumen praebet normas pro cantu Missae ut munus uniuscuiusque cantus clarius appareat, describit modum Ordinem cantus Missae adhibendi, tandem textus cantuum indicantur pro Missis de tempore, de Sanctis, pro Communibus, Missis votivis, ritualibus et ad diversa, atque melodiae pro cantu formularum novi Ordinis Missae dantur.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

c/c post. 1/16722

RITUALE ROMANUM

ORDO BAPTISMI PARVULORUM, editio typica, 1969, in-8°, pp. 180. L. 1.200 (\$ 2,10).

ORDO INITIATIONIS CHRISTIANAE ADULTORUM, editio typica, 1972, in-8°, pp. 188. L. 3.200 (\$ 5,60).

ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM, editio typica, 1969, in-8°, pp. 40. L. 900 (\$ 1,60).

ORDO PROFESSIONIS RELIGIOSAE, editio typica, 1970, in-8°, pp. 128. L. 1.800 (\$ 3,15).

ORDO EXSEQUIARUM, editio typica, 1969, in-8°, pp. 92. L. 1.200 (\$ 2,10).

ORDO UNCTIONIS INFIRMORUM EORUMQUE PASTORALIS CURAE, editio typica, 1972, pp. 84. L. 1.900 (\$ 3,20).



PONTIFICALE ROMANUM

DE ORDINATIONE DIACONI, PRESBYTERI ET EPISCOPI, editio typica, 1968, cm. 22×29, typis clarissimis nigri et flavi coloris, cum una imagine extra textum; pp. 136, linteo contextum et ornamentis aureis decorato. L. 5.000 (\$ 9).

DE INSTITUTIONE LECTORUM ET ACOLYTHORUM; DE ADMISSIONE INTER CANDIDATOS AD DIACONATUM ET PRESBYTERATUM; DE SACRO CAELIBATU AMPECTENDO, editio typica, 1972, in-8°, pp. 38. L. 900 (\$ 1,60).

ORDO BENEDICTIONIS ABBATIS ET ABBATISSAE, editio typica, 1971, in-8°, pp. 32. CHRISMA, editio typica, 1971, in-8°, pp. 20. L. 500 (\$ 0,90).

ORDO BENEDICTIONIS ABBATIS ET ABBATISSAE, editio typica, 1971, in-8°, pp. 32. L. 1.000 (\$ 1,90).

ORDO CONFIRMATIONIS, editio typica, 1972, in-8°, pp. 52. L. 1.000 (\$ 1,90).

ORDO CONSECRATIONIS VIRGINUM, editio typica, 1970, in-8°, pp. 68. L. 1.400 (\$ 2,10).